POLITICÆ OBSERVATIONES

CIRCA

PRINCIPEM.

ſtudio

T. D. à WINSHEIM.

FRANCOFURTI
Apud
JOHANNEM JUSTUM
ERYTHROPILUM.

JENÆ
Typis NISIANIS.
1685.

BIBLIOTECA NAZIONALE VA. III EMANUELE



ILLUSTRISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO
DN. CHRISTIANO
EBERHARDO;

Principi Oſtfriſiæ, Domino in Eſens, Stedesdorff, & Witmund:

Domino meo Clementiſſimo.

ILLUSTRISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME;

ME eſſe in claſſe eorum, qui Tuæ Celſitudini venerationem atqui obſequium debent, palàm profiteor. Eò enim me invitat tua eminentia, virtutumque Principe magno dignarum ſplendor; conſtringit vehemens in

patriam inclinatio; debitæ ſubmiſſionis neceſſitas jubet. At verò diuturna peregrinatio (ad quam, neſcio qui rerum mearum ſtatus vel ſucceſſus, me hactenus compellit) obeſt, quo minus ipſo actu exhibere poſſim, ad quod tamen omni Jure, divino ſimul & humano, me obligatum agnoſco. Ut tandem genus quoddam venerationis, etiam inter abſentes practicabile usque elegerim; ſaltem in animi ſincerè venerantis infallibile Symbolum. Illud ipſum autem ſunt præſentes Politicæ Obſervationes circa Principem: quas ſtudiorum cauſa meditatas, atque jam typis expreſſas ILLUSTRISSIMÆ CELSITUDINI *Tuæ huncce in finem devota, ceu decet, mente offero. Exſpectant illæ quidem principalem gratiam: Sed verò non tam ex ſua dignitate,*

ut quæ parvi fortaſſis æſtimanda venit; quàm ob animum Indigenæ tui venerabundum. Sunt enim munera magnis Principibus oblata tantâ eminentiâ facilè inferiora: niſi illis ab animo offerentis æſtimium quoddam accedat. Quapropter, Celſiſſime Princeps, haſce Meditationes politicas clementiſſimè accipere velis: & principali favore tuo non dedignari illum, qui præterea imperium Tibi, in perennem Illuſtriſſimi Nominis Tui gloriam, atque popularium ſuorum ingens emolumentum, felix fauſtumque apprecatur

Illuſtriſſimæ Celſitudinis Tuæ

Hafniæ d.27. Octob.
A. 1684.

obſequioſiſſimus
T. D. à Winsheim.

PRÆFATIO
ad
LECTOREM.

ANtequam ulterius te progredi permittamus, Benigne Lector, paucis expediendus es; ut animum tuum aliquatenus occupemus, adque futuram lectionem disponamus. Sunt autem cumprimis duo, quæ te hîc docere, & noſtra & tua intererit. Eorum alterum propoſiti noſtri rationes comprehendit; alterum verò ad ipſum opuſculum referendum. Prima omnium cauſa, quæ nos ad hunc laborem ſuſcipiendum

movit, fuit, ut ingenium exerceremus, & ſtudia qualiacunque, ne per deſidiam quaſi ſitu corrumperentur, ab interitu vindicaremus. Habet enim eruditio hanc proprietatem, ut niſi perpetuo ſtudio ac exercitio, unde ſuum alimentum aſſumat, ſuſtentetur, paulatim evaneſcat; adeoque ad priſtinam tandem ruditatem redigatur. Ut literis deditis famoſum olim illum pictorem imitari uſuveniat, qui nullum diem ſine linea prætermittendum ſtatuerit. Et quidem, quod obiter præterea eſt addendum, otium, atque va-

variis in locis, ubi degere contigit, diverſa rerum civilium facies percepta, ad haſce meditationes politicas nobis anſam præbuêre: ut vel hinc fœtus noſtri originem ac occaſionem ſtatuere oporteat. Huic accedit rerum noſtrarum conditio; quæ ſanè intentionem illam non parum adauxit. Etenim ſpe lautioris hinc eventuræ felicitatis, atque fiducia, incitati (ut verum fateamur) exercitium hoc politicum usque perducere ac in lucem edere conſtituimus: quò Muſas noſtras hac ratione publicè inſinuaremus, ne-

que aliis moleſti, nobisve ipſis graves vel tædio, eſſe tandem cogeremur. Absque hiſce incitamentis ſi fuiſſet, nunquam animum ad id inclinaſſemus. Cum formoſitate fœtus noſtri non adeò nos delectari, aliis perſuaſum eſſe cupiamus, ut ideo ad hæc divulganda animum compulerimus. Quoniam, præſertim noſtro ævo, hæc res ubique ita familiaris ſit, ut literatus orbis plus tædii quàm commodi ex multitudine ſcriptorum hactenus editorum pene ſentiſcat. Verum poſſit quis mirari, cur tam ſublimem materiam hîc ele-

gerimus, adeoq; ipſum Principem, cumq; primis abſolutum nullisve legibus fundamentalibus alligatum, noſtrorum diſcurſuum argumentum ponere auſi ſimus: quòd nobis tanti momenti negotia manu verſare hucusque nunquam evenerit; ut qui hactenus ea oculis mentis ſaltem ſimus contemplati. At licuit tamen (niſi fallimur) partim ab Autoribus in hoc ſtudii genere verſatisſimis, adeoque probatis, obſervationes petere; partim quoque à rebus noſtro tempore paſſim geſtis, quas eminus aſpicere contigit imagines

gines colligere, atque pro ingenioli viribus ad prudentiæ normam exigere, & denique ad majorem commoditatem usûs determinare. Quamvis & præterea hoc argumentum ſeligere placuerit, quod noſtræ intentioni (ſive exercitium ſpectes, ſive commendationem) haut alio modo convenientius ſatisfieri viſum fuerit: maximè cum alios, noſtræ etiam conditionis ſimile, citra tamen quòd in eos propterea gravius animadverſum, conatos eſſe, ſatis ſit manifeſtum.

Dehinc ſequitur alterum, cu-

cujus te admonere pretium operæ eſſe duximus; quodque ad rem ipſam transferimus. Atque principio, quod orationem attinet, haut moleſtè excuſabis, ſi vulgari tantummodo ſtylo uſi ſimus; magis rebus quàm verbis intenti: interim tamen nec adeò indecoro ſermonis habitu hæc noſtra incedere ſperamus, ut etiam faſtidium continuum legenti ſint motura. Noli præterea vitio vertere, quod rationes, aſſertionibus hiſce noſtris ſubjungendas, aliorum politicorum, ſelectiorum tamen, ipſiſſimis verbis ſubinde

exprimere placuerit. Eo autem conſilio illud factum puta, ut oppellæ huic noſtræ tantò major autoritas conciliaretur; ab iis videlicet, quorum exiſtimatio pondus atque eruditionis æſtimium ingens inter Literatos jam eſt conſecuta. Atqui adeò & nobis hac ratione, & tibi, Benevole Lector, ut cujus animus ejusmodi verborum, aliunde petitorum, gravitate fortaſſean magis afficietur, prodeſſe conati ſumus. Denique & obiter obſervandum eſt, qua ratione hæc noſtra ſint diſpoſita. Haut exiguum enim

enim horum præconcepta cognitio legenti auxilium præbere poſſit. Initio autem notare oportet, quod duo quaſi ſumma capita, ad quæ reliqua omnia a nobis ſunt relata, conſtituerimus: Virtutem nimirum Intellectualem, & Moralem; illa intellectum Principis ad imperii adminiſtrationem idoneum reddit, hæc appetitum. Quanti verò Principis interſit, quoad intellectum cumprimis, animum habere bene imbutum virtute imperatoria, vel inde conſtat: quod Princeps in principatu ſuo ſit punctum,

a quo

a quo etiam miniſtri ejus & reliqui cives ſuarum actionum lineas deducant; ſit primum mobile, ad quod cæteri omnes moveantur, undeque ſuorum motuum civilium rationem ac menſuram recipiant. Determinat enim prudentia Principis actuum civilium quaſi ſphæram activitatis (ut ad morem Philoſophorum loquamur) ſecundum quam illi præcise ſunt conformandi; ut ne unguem latum a finibus mandati principalis recedere cuiquam liberum permittatur. Qua de cauſa quoque ab iis virtutibus,

quæ

quæ intellectum erudiunt, initium fecimus; præmiſſo unico capite de Naturali diſpoſitione & aptitudine, ad utriusque generis animi perfectiones recipiendas neceſſaria. Atque hinc de prudentia politica in genere primò diſſeruimus; ut hoc modo ad cætera ejus capita, tum generalia tum quoque ſpecialiora, velut illius operationes inſigniores, facilius deſcendere potuerimus. Huc etiam Rationem ſtatus, tanquam prudentiæ conſultativæ genuinam ſobolem, retulimus; bonis, ut opinamur, rationi-

bus, quas capite 5. videre licet, adducti: quanquam aliàs varia foveantur judicia, ad quam ea claſſem ſit translocanda. Nec minus ſubjunximus aliquot capita de eligendis illis quorum auxilio Princeps in adminiſtratione indiget. Hoc autem argumentum aliquantò operoſius vel propterea perſecuti ſumus, quia ingens commodum, ſive etiam incommodum, prout bene vel ſecus obſervatum, involvit: ut quoque Gallicus quidam ſcriptor excellentem & idoneum miniſtrum bonæ fortunæ Principis indicium & inſtrumen-

mentum felicitatis ſtatus alicujus appellare non vereatur. Cæterũ quomodo ſpeciatim membra ſingula invicem cohæreant, cum diligentia ad quamque partem notatum habebis. Ut verò hæc ad mentem Principis qua talis neceſſaria ſunt ſtatuenda; ita & appetitus ad normam virtutum omnino eſt rectificandus. Nam hæc perfectio quoque adeò eſt neceſſaria, ut mentis eruditio absque ea potius fœdæ calliditatis naturam induat: ceu etiam videre eſt in tyrannis eruditis, ſic ſatis aſtutè interdum circa ne-

gotia

gotia agenda verſantibus. Præſertim verò in Principibus eam requirimus; cum illi libertate indeterminata ſecundum animi perturbationes agendi præ cæteris ſint armati. Quare quoque tantò eminentior atque perfectior ea virtus in illuſtri ſubjecto eſt æſtimanda, quod reliqui legibus & imperio Majorum ad honeſtum nolentes volentes adigantur. Hæc materia alteram quaſi partem noſtri opuſculi conſtituit tribus videlicet ultimis capitibus ventilata: arque data opera parcius de ſingulis ejus ſpe-

ſpeciebus diſſeruimus; excepta juſtitia, ut quam ob præſtantiam & uſum, in ſocietate civili eximium, laxiori discurſui 15. & 16. capitibus reſervavimus. Laborem autem hunc candori tuo, Benevole Lector, quàm diligentisſimè commendamus, atque, ut favore eum amplecti non dedigneris, obnixè rogamus. Vale.

INDEX CAPITUM.

I.

DE naturalibus animi dotibus p. 1.

II.

De Prudentia politica in genere. 6.

III.

De Prudentia Legislatoria 16.

IV.

De Prudentia Senatoria 35.

V.

De Ratione Status 59.

VI.

VI.
De Prudentia militari 106.
VII.
De Obſervanda, vel etiam apparanda occaſione 156.
VIII.
De Electione Miniſtrorum in genere 169.
IX.
De Electione Conſiliariorum; & ipſis hinc Conſiliis 205.
X.
De Electione Adminiſtrorum juſtitiæ 238.
XI.

XI.

De Electione Legatorum 248.

XII.

De Electione Miniſtrorum occultorum 265.

XIII.

De Prudentia judiciaria 267.

XIV.

De Virtutibus Moralibus in genere & in ſpecie 288.

XV.

De Juſtitia diſtributiva 318.

XVI.

De Juſtitia commutativa 330.

POLI-

POLITICARUM OBSERVATIONUM

circa

PRINCIPEM

CAPUT I.

DE

Naturalibus animi dotibus.

CUm naturæ inſito quodam deſiderio propoſitum ſit, unumquodque in ſuo genere producere optimum perfectiſſimumque; atq; non rarò infra ſuam intentionem ſubſiſtere cogatur, teſte Ariſtotele *Lib. 1. Polit. cap. 4.* Hinc videmus hominem, etiam quoad animi qualitates, naturali aptitudine quidem eſſe inſtructum; cum magna tamen, ex temperamento vel conſtitutione corporis, dependente differentia: quam vel hac ratione non ſolùm circa integros populos, nec tantùm circa certos

diſtrictos ac civitates. in una quamvis regione ſitas, ſed & in ſingulis hominibus qnotidie obſervare licet. Ab alimento quidem, puta cibi & potus genere, item & climate ſive aere, quandam paulatim (quamvis etiam naturæ beneficio ac cooperatione) alterationem accipit inclinatio animi in homine jam nato: ſed tamen vel ab ipſo ſemine unicuique quasdam propenſiones hereditaria ſucceſſione præterea ineſſe, non minus conſtat; quarum impulſu alius huc, alius illuc movetur. Atque impreſſiones illæ naturales ad hoc vel illud agendum determinantur: a conſuetudine cuique nationi uſitata, inſtitutione, vel exemplis ad imitationem invitantibus auctæ, & per longam temporis ſeriem confirmatæ.

Reducuntur autem animi qualitates, quibus homo hominem (quod perfectionem & bonitatem concernit) ſuperat, atque antecellit, vel ad intellectum vel ad appetitum, tanquam ſubjectum, quodque diſponunt, & afficiunt ita ut, accedente doctrinâ & exercitio, tandem evadat prudens & virtuoſus. Siquidem *duplex eſt vis animorum* (verba ſunt Ciceronis Lib. 1. Offic.) *atque natura. Una pars in appetitu poſita eſt; qua hominem huc & illuc rapit. Altera in ratione; quæ docet & explanat, quid faciendum fugiendumve ſit.*

Quod attinet dotes intellectus, poſſunt hinc conſtitui tres hominum claſſes; quemad-

admodum etiam innuit Machiavellus in Principe ſuo *cap. 22.* Alii enim valent illa bonitate ingenii, ut & ipſi invenire, quæ ſibi utilia, atque declinare, quæ mala vel adverſa immineant, poſſint: alii quidem ſibi ipſis de hiſce abundè proſpicere nequeunt, attamen ex iis, quæ ab aliorum prudentia promanarunt, optimum eligere atque illud ſuis rebus applicare, idonei ſunt: alii denique nec ipſi acumine ingenii ornati, nec aliorum conſilia in uſum ſuum feliciter convertere ſufficiunt; quique propterea, non tam ad prudentiæ exercitium, quàm corporis ſerviles operas, ab alma matre videntur deſtinati.

In principe ſi primi generis dotes non exiſtunt, minimùm requiruntur illæ, quæ ad ſecundam claſſem ſpectant. Quantùm enim cæteros dignitate atque potentiâ præcedit, tantô eminentior hiſce animi ornamentis (ſtudio deinceps, & continua exercitatione, ad ſuam perfectionem perductis) ſit oportet: eadem ratione, ut ſubditi ipſius & ſervi, domini ſui imperio ob horum defectum ſubmittuntur; idque vel naturæ impulſu, ceu eleganter illud ipſum oſtendit Philoſophus Opere politico. *Coronatur quidem diademate,* dicit nervosè de Meneſes, *principis caput, ſola tamen coronam ſuſtinet hominis ſapientia.* Summ. Polit. Titul. 1. cap. 3.

Verùm enim verò infeliciter hominibus regendis præficitur, cui natura ne ſemina

quidem virtutis illius directricis conceſſit: quoniam imperfectio hæc, neque doctrinâ, neque uſu ſive experientiâ, integrè ſuppleri poteſt. Atque hinc congruè Mariana: *ingenium quidem*, inquit, *cælo datur, nulla arte; fruſtraque labor ſit, ſi Princeps tenui judicio contingat, nullo acumine:* Lib. III. cap. 15. de Reg. & Regis Inſtitut. Quem verò ejusmodi regimina ut plurimum nanciſcantur exitum, hiſtoriæ abundè docent. Et ſolet DEUS ter Opt. Maxim. ſæpiuſcule hoc hominum genere reſpublicas punire, aut ſaltem eo ipſo pœnam imminentem, atque, niſi in tempore pœnitentiam egerit populus, certò futuram, indicare. Sanè *nulla majori clade populum Deus affligere poſſit* (teſte Philippo Cominæo Lib. 3. Hiſtor.) *quam ſi principem ei præficiat ſtolidum & imperitum; neque enim dici poteſt, quàm multa hinc oriantur incommoda.* Imò verò abſque prudentia politica imperium ſi exerceatur, non poteſt non reſpublica hinc in ſummos errores, maximaque tandem pericula, præcipitari; quæ tamen omnia hoc donum intellectus cumprimis evitabit.

Pari ratione appetitus quandam deſiderat diſpoſitionem ad recipiendas virtutes, quas à moribus, ut qui inde formam ſuam adipiſcuntur, morales communiter appellitant. Perſpicua ſunt, quæ Ariſtoteles *Lib. VI. Ethicor. Cap. 13.* in hanc rem producit: *Eodem ferme*, inquit, *modo, quo prudentia & ſolertia ſunt*

in-

inter ſe affecta, comparatur virtus illa naturalis cum ea, quæ propriè & præcipuè virtus eſt. Unaquæque enim virtus moralis in omnibus hominibus quodammodo videtur ineſſe naturâ. Nam & juſti, & temperantes, & fortes ſumus, & cæteras item virtutes habemus, cum primùm naſcimur. Atque hujus haut rarò indicia cernere licet, minimè fallacia, circa infantilem, aut etiam puerilem ætatem: ſicut illud, de fortitudine præſertim, oſtendit Saavedra in Idea Principis Chriſtiano-politici *Symbol. 1.* Herculis & aliorum exemplis in aſſertionis ſuæ veritatem producens. Nec non actiones primæ Alexandri M. ipſum Philippum parentem aliosque in ſummam admirationem pertrahentes, evidenter hoc oſtenderunt; quemadmodum patet ex iis, quæ Autor in Supplem. ad Curtium *Lib. 1.* de hoc Alexandro notat. Haut alia ſigna, regiam indolem præſagientia, eventu quoque rei veritatem confirmante, in Guſtavo I. Sueciæ Rege obſervarunt rerum ab ipſo geſtarum Scriptores: Videatur inter illos *Johann. Loccen. Hiſtor. Suetic. Lib. VI. circa init.*

Nec tamen ſemper diſpoſitio iſthæc evidenter ſeſe extendit ad omnes virtutes; ſed interdum ad unam ſaltem, vel alteram: eodem modo ut ad vitia. Hinc etiam eſt, quod populorum alii temperantes, alii libidinoſi, alii audaces, bellicoſi; alii timidi & ad bellum inepti quodammodo; alii modeſti, humani, af-

ſabiles, alii verò ſuperbi, & ſic deinceps habeantur, & exiſtant. Qui mores, quamvis apud gentes moratiores haut exiguum accipiant incrementum ab uſu vivendi, cuique populo familiari; atque in ſingulis hominibus ab ætate, conſuetudine, item honoribus adeptis aut aliunde: principium tamen, & fundamentum ſuæ exiſtentiæ magna ex parte naturæ atque ingenitæ inclinationi debent.

CAP. II.

DE

Prudentia politica.

POno jam, ceu etiam in præcedenti capite fuit oſtenſum, duplicem eſſe animæ noſtræ potentiam, ad præſens propoſitum maximè facientem: utraque ergo uſu & doctrinâ eſt perficienda. Nam niſi beneficia illa benignæ naturæ acceſſoriis quoque virtutibus augeantur, actionibus humanis dirigendis haut ſufficiunt. Et hæ quidem, tum in aliis præſtantioribus, maximè verò principibus, aut etiam illis, quorum operâ & miniſterio in adminiſtratione ſuæ reipublicæ hi utuntur, neceſſariò deſiderantur. Sunt autem illæ virtutes duplicis generis: aliæ ſiquidem ſunt *Intellectuales*, quæ menti lumen præbent; aliæ *Morales*, quæ immoderata appetitus molimina repellunt, effrenes affectus cohibent, & omnia ad normam honeſtatis dirigunt.

Prius

Prius de intellectualibus, in quantum huc pertinent, aliquid diſſerendum eſt, & deinceps eadem ratione de moralibus. Sed nec omnes intellectus perfectiones primariò in Principe exiguntur: perinde ut nec omnes illius animæ partis actus regimen reipublicæ concernunt. Præſertim verò in hanc claſſem deferenda eſt prudentia, & imprimis ea, quam politicam nominant: quæ civitatem bene conſtituere, vel conſtitutam jam bene adminiſtrare, & negotia ejus ad finem propoſitum ac populi ſalutem rectè dirigere docet.

Hæc eſt illa Nympha, quam principalis perſona veneretur, omni conatuum generè ambiat, ſtabilique quaſi matrimonio ſibi adjungat: hæc imperantes in ſua dignitate conſervat, parentibus tolerabilem ſtatum præſtat, & totam rempublicam ab inſultibus malevolorum hominum tuetur. Siquidem pro ſcopo habet, atque ultimo ſuo fine, non ſolùm ut civilis ſocietas ſit ſimpliciter, ſed & ut ipſi bene ſit, & quidem in omnibus ſuis membris: univerſalem enim quærit ſalutem omnium, non verò particularem, ſcilicet imperantium, vel paucorum, ut quæ in aberrantibus & vitioſis ſtatibus intenditur. Atque hinc Princeps bonus demum dicendus eſt, non qui ſe ſolummodo bene regit, ſed maximè qui illis, quos imperio ſuo continet, felicitatis cauſa eſt: Princeps enim eligitur, non ut ſui ipſius tantum curam habeat, verum ut per eum illi, à

quibus ad talem dignitatem electus, vel divinitus deſtinatus, in felicitate vitam ſuam agere queant. Vid. *Xenoph. Lib. III. de Fact. & Dict. Socrat.* Niſi autem ſubditi pietate erga Deum, & probitate erga ſe invicem, regantur; niſi cæteris quoque bonorum generibus, quæ cuicunque pro ſua conditione ac ſtatu ad commodam vivendi rationem utilia ſunt, floreant, reſpublica non poteſt dici beata: atque in tantum a vera beatitudine remota eſt, in quantum ab hoc ſcopo abberrat. Huc quadrant, quæ Cicero ſuo more eleganter diſſerit: *Omnino*, inquit, *qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut utilitatem civium ſic tueantur, ut quæcunque agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum corpus reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquos deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio reipublicæ ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt: qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernicioſiſſimam in rempublicam inducunt, ſeditionem atque diſcordiam.* Lib. I. Officior.

Verùm & obſervandum eſt, ab imperante ſæpius quidem intendi omnia ea, in quibus finis ponitur; at præpoſterè, ſive inverſo quodam ordine, ut primariò vel divitiæ, vel ejusmodi aliud quæratur, ſecundariò verò & perſun-

functoriè ſaltem id, quod meritò primum locum obtinere deberet, nimirum bonum & perfectio animi humani. Poſt lapſum enim primorum parentum politiæ maximè videntur ſupereſſe, tanquam medium, quo homo ad integritatem animi ſui priſtinam ex parte quadam redigatur: Vid. *Petr. Gregor. Tholoſan. de Rep. Lib. V. cap. 5. num. 9.* Nam tantum abeſt, ut mortales ſpontè & in naturali libertate ſua honeſtum ſectentur, ut potiùs quàm plurimi vix ac ne vix quidem ſeveritate imperii civilis ſe ad rectè faciendum cogi patiantur: ſed ſubinde propter perverſitatem inſanabilem cœtu politico prorſus excludendi ſint: ceu illud quotidiana experientia docet. Hæc ergo obſervatio circa cauſam finalem principi haut eſt negligenda, niſi ſe ſuosve in vacillantem ſtatum & ingens periculum præcipitare velit. Sibi enim imaginetur, virtutem civium ſuorum demum eſſe præcipuum fundamentum, quo reſpublica conſiſtat; & remoto illo, diu florida permanere non poſſit, verum mox continuis mutationibus, ac tandem ipſi ruinæ, vicina ſit. Faciunt quodammodo huc, quæ diſſerit Ariſtoteles *Lib. VII. Politic. cap. 13.* item *Lib. 1. Ethicor. cap. 13.* Et cum res omnium ſaniorum Politicorum aſſenſu pateat, operoſa probatione haut indiget.

Præterea & objecti, circa quod prudentia noſtra occupata, hic omnino habenda eſt ratio.

Per ſe & propriè huc pertinet reſpublica, quæ Principis ipſius poteſtati ſuppoſita eſt. Conſiderandæ ergo hic veniunt, tum *Perſonæ*, & quidem primariò; tum ſecundariò quoque *Res*: quippe omnia, quæ directionem aliquam a Principe deſiderant negotia in principatu, circa vel perſonas vel res, tanquam partes civitatis matrimoniales, ſunt inſtituta. Atqui & perſonarum & rerum variæ ſunt obſervandæ conditiones, & differentiæ; quas recenſere ut propopoſiti noſtri non eſt, ita (lectorem imprææſentiarum ad politicos Doctores remittentes) hac vice ſuperſedemus. Interim Principi autor ſum, ut accuratiſſimam, quantum fieri poteſt, reipublicæ ſuæ acquirat cognitionem; ſibi perinde ut medico corporis humani V.G. Petri vel Pauli ad optatam morbi curationem, neceſſariam. Quapropter rectiſſimè Cicero: *Ad conſilium dandum pro republica*, inquit, *caput eſt, noſſe rempublicam.* Nec poſſum, quin hiſce adſcribam illa, quæ apud Gaſp. Ens ex Guicciardini Hiſtoria & aliunde excerpta, ac inter Monita politica relata leguntur: *Videmus plerumque falli eos, qui e philoſophia præceptis tantum, & Rationis regulis de imperiorum adminiſtratione diſſerunt, & ratiocinantur, conſideratis propioribus, atque etiam minutisſimis circumſtantiis. Fruſtra enim quis præſcripſerit, quid Galliarum Regi ſequendum, quid fugiendum ſit, niſi Gallorum mores & ingenia, tum tempora*

etiam

etiam, rerum ſtatum, & eos, quibuscum res eſt, penitus norit: Nucl. Hiſtorico-polit.

Cæterùm & Deus ter Opt. Max. (teſte Conringio *de Civ. prudent. cap. 10.*) claſſi perſonarum hic venit annumerandus; quatenus ipſum ad cooperationem occultam & felicem ſucceſſum negotiorum civilium majoris momenti (bellicorum ſcilicet, & ſimilium) ſeria devotione in hunc finem publicè deſtinata, commovere cives laborant. Hinc inter Chriſtianos à reipublicæ moderatoribus illi dies, die Feſt/Buß/und Behttage/ quoties magnam aliquam expeditionem in actum dare propoſuerunt, injunguntur: hinc obtenta victoria in bello, vel alia quadam fortuna affulgente, gratiarum actiones, die Danck/Feſte/ laudatiſſimo inter Chriſtianos more, ſolemniter habentur. Quod ipſum à primis temporibus, vel ab ethnicis, diligenter fuit notatum: ut qui latentem hunc concurſum quoque bene ſenſerunt in ſuis actibus; modò vim illius attribuiſſent ei, cui meritò attribuenda eſt. Huc referendum exemplum à Salluſtio obſervatum; quando Senatus Romanus ob negotia à Metello Conſule in Numidia contra Jugurtham feliciter geſta, diis immortalibus gratias agere decrevit.

Per accidens verò, & magis impropriè respublicæ vicinæ, & eæ, cum quibus commercium quoddam intercedit, hic vicem objecti ſuſtinent. Suntque omnino eò referendæ,

quod prudentia Principis abſque harum debita ſcientia ſit imperfecta, & ad negotia externa pro dignitate gubernanda, ex quadam parte inidonea. Attamen diſcrimen aliquod eſt obſervandum. Nam quarundam accuratior notitia requiritur; ut Principis eitam intereſt noviſſe illorum imperantium intentionem & ſcopum, mores, adminiſtrandi rationem, primarios miniſtros, eorumque qualitates ac gratiam, qua polleant apud Dominum ſuum, & quam plurima alia ad conſecutionem ſui commodi utilia, in quibus ejusmodi notitia, omnibus numeris abſoluta, conſiſtit. Huc facit monitum Pontificis, ad Cardinalem quendam directum, quo Cardinales inſtruuntur ablegati: *ut de cujusque reipublicæ ac Principis naturâ moribusque diligenter edoceantur, investigantes, quæ ipſorum ſint conſilia, quæ amicorum propenſiones; quo pacto aula eorundem regantur, an diſcordes, quæ partium ſtudia, odia, ſimultates, vel amicitia inter principes & miniſtros, omniumque cauſa: præterea inquirentes, quæ uniuscujusque imperii magnitudo, mutua propinquitas exiſtat.* Vid. Gaſpar. Ens Theſaur. polit. Part. 3. Apotel. LXIX. Neque ab hoc noſtro argumento aliena ſunt quæ nonnemo Caetano, in Belgium ad exercendam artem militarem quondam miſſo, in inſtructione præſcripſit, apud eundem Ens Apotel. XXVII. Sunt quidem aliquantò prolixiora, ſed tamen,

quia

quia hunc locum illuſtrant, hîc apponenda: *His præſuppoſitis Illuſt. V. Dom. omnia, quæ ad Belgii cognitionem requiruntur, diligenter inquiret, quàm latè ſcilicet pateat, quos principes habeat vicinos, à quibus lateribus aſſiliri atque offendi queat, in quot & quas provincias univerſum Belgium ſit diſtinctum, quomodo ſingulæ appellentur, quæ maria, quos portus, quos montes, quæ flumina, quos lacus, quæ ſtagna & paludes, & ſi quid notatu dignum, ſingulæ habeant; quibus rebus careant, quibus abundent; quos fructus, animalia, metalla terra producat; quæ artes & opificia in ſingulis floreant &c. Imprimis verò quas urbes, oppida & arces ſingulæ provinciæ habeant, quàm populoſæ ea ſint, quàm munita, quam opulenta: quæ familiæ illuſtres & nobiles, quæ & quanta earum opes, cognationes, clientelæ, vires; ſubditorum natura, ingenia, mores, ſtudia, religio: quæ facies reſpublicæ & judiciorum: quæ forma gubernandi; qui & quanti regis ſint reditus, in quibus rebus ii conſiſtant, utrum ii augeri poſſint, quomodo & quantum.* Quanquam & illud à diligenti politico notari omnino meretur; ſucceſſu nimirum temporis interdum mores aſſumptos populo mutari: cum ab hac obſervatione magnum ſæpenumero momentum rebus gerendis accedat. Exempla deeſſe non poſſunt hiſtorias rerumpublicarum legenti: inter quæ

& huc referenda ſunt ea Taciti circa Britannos: *Plus ferocia Britanni præferunt, quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruiſſe accepimus: mox ſegnitia cum otio intravit amiſſa virtute ac libertate, quod Britannorum olim victis evenit: cæteri manent, quales Galli fuerunt:* in Vita Agricol. cap. 11.

Circa cæteras verò reſpublicas, cum quibus videlicet particularia ſaltem negotia, ut mercatura, aut ejus generis alia, agitantur, ſatis eſt, ſibi acquiſiviſſe etiam particularem tantum cognitionem, ad horum tamen ſalutarem adminiſtrationem ſufficientem. Quandoquidem plenior illa eſſet ſuperflua, & nulli adeò bono, niſi forſan ad bene eſſe (ut Philoſophi loquuntur) illius, a quo poſſideretur. Alioquin inter negotia gerenda & ſcientiam eorum mutuus eſt reſpectus, ut illa huic menſuram & limites præſcribant.

Hiſce præſuppoſitis progredimur ad diviſionem prudentiæ politicæ, quæ etiam ſcientia civilis Ariſtoteli appellatur: ut iis, quæ hinc ſequuntur, fundamentum aliquod ſtruamus. Ad communem autem politicorum ſententiam diſtribuimus eam in *Legiſlatoriam* & *Practicam*. Hæc membra illa ratione ſibi invicem ſunt oppoſita: nam ut legislator in univerſalibus manet, & ab agendo qua talis, planè eſt remotus: ita practicus in rebus gerendis & ſingularibus totus eſt occupatus;

quic-

quicquid enim mente intendit, illud omne ad actum transferri debet. Practica, quæ etiam politica ſpeciatim ſic dicta aliàs vocatur, ſubdividitur in *Senatoriam* ſive deliberativam; & *Judiciariam*. Illi omnia futura, prudentem conſiderationem requirentia, ſunt ſuppoſita; huic autem præterita, in quantum nimirum de eorum juſtitia dubitatur, atque æquitate.

Poſſit fortaſſis & hoc loco ratio quædam haberi prudentiæ illius, quam directricem rerum domeſticarum Principis dixeris, quæque cum privati alicujus œconomica quadam ratione comparari poſſit, niſi quod multò latiores terminos habeat: verùm cum laborem hunc ad compendium redigere nobis propoſitum ſit, & hæc propriiſſimè ad noſtram intentionem pertinere non videatur, eam data opera hîc omittimus; illius ſaltem nomen indicaſſe contenti. De cæteris verò prudentiæ politicæ jam enumeratis ſpeciebus pro ingenii modulo deinceps diſſerendum eſt: atque hinc proximè de legislatoria, tanquam omnium univerſaliſſima, initium fiat.

CAP.

CAP. III.

DE
Prudentia legiſlatoria.

QUod præceptorum monita ad efformandos juvenum mores in Scholis, aut patrisfamilias in ſua domo, illud leges in republica præſtant. Eſt enim lex *præceptrix faciendorum*, ut dicitur in l. 2. ff. de Leg. Atqui definitur ex ſententia Ariſtotelis, quod ſit *oratio à prudentia & mente profecta, vim cogendi habens.* Hinc veteres non abſonè dixerunt, leges quaſi animam civitatis eſſe; idque haut alia ratione, quàm qua mens corpori humano & perturbationibus animi præſidet. Atque Magiſtratum legem eſſe loquentem, legem autem mutum magiſtratum, aſſerit Cicero *Lib. III. de Leg.* Quamobrem & prudentia condendi ejusmodi præcepta legalia, ut quæ architectonica etiam dicitur Philoſopho *Lib. VI. Ethic. Cap. 8.* quod cæteris prudentiæ politicæ ſpeciebus præſcribat, earumque quaſi domina ſit & regina, Principem præprimis decet. Eſt enim eximia quædam portio prudentiæ civilis, & maximi in republica uſus. Exinde quoque Henricus VII. Angliæ Rex optimi legiſlatoris nomen, Franciſc. Verulamii ſententiâ, meritò eſt adeptus: ut cujus leges non vulgari modo in-

ven-

ventæ atque conceptæ, ſed ex prudentia profunda, ad morem legislatorum veterum temporibus antiquis & heroicis, idque in ſenſibile regni illius incrementum indies, ſint ortæ.

Nec quicquam in contrarium commoveat illa inſtantia, quaſi hæc pars, regulis ſuis, ad quas opus uniforme & ſtabile producat, non ſit debitè inſtructa; ſed propterea valde incerta: cum quotidiana experientia teſte, quot exiſtunt reſpublicæ, ſive ſpecie ſive numero ſaltem ſeparatæ, tot quoque videantur legum & jurium differentiæ; ut nec in eadem civitate leges à continuis mutationibus ſint liberæ, quia ſubinde vel corrigantur, vel prorſus tollantur, novis in ſublatarum locum ſubſtitutis. Hinc vana quidem apparere cuiquam poſſit hæc ars. Verùm quoniam legiſlatio, non caſu fortuito, ſed cooperatione intellectus cumprimis perficitur, atque indubitatis prudentiæ principiis innititur, ipſi nomotheticæ nullo modo artis natura denegari debet. Varietatem autem legum quod attinet, eſt illa potiùs, vel ignorantiæ ac paſſionibus ſæpe immoderatis legislatoris, vel rerum ſubjectarum circumſtantiis valde mutabilibus adſcribenda.

Adeoque ſicut certa & determinata eſt, ita omnino rerumpublicarum gubernatoribus valde quoque neceſſaria. Siquidem *inſtabilitati voluntatis* (ceu Saavedra rectiſſimè obſervat) *quæ tot affectibus & paſſionibus eſt* ob-

obnoxia, imò per ſe cæca, rectè committi haut potuit juſtitia judicium; ſed neceſſum fuit, ut certis quibusdam decretis & fixis ſtatutis (qualia ſunt leges) *à ratione & prudentia profectis, quæ perinde omnes, & absque diſcrimine obligarent, illa in officio continerentur.* Symbol. XXI. Nam ſi a juſto & bono viro conſequerentur cives æquabile, eſſent eò contenti: cùm autem id minus contingat, leges ſunt inventæ, quæ cum omnibus ſemper una atque eadem voce loquantur. Vid. Cicero *Lib. II. Officior.* Vel ſaltem haut neceſſariæ viderentur, ſi cives ubique vivere amarent, ceu olim Germani, apud quos plus valebant boni mores, quàm alibi bonæ leges; quemadmodum Tacitus in perpetuam ipſorum laudem hoc teſtatur *Lib. de Morib. eorum cap. 19.* Adeò ſcilicet tenaces virtutis obſervatores olim fuerunt noſtri Germani: at verò hodiernis moribus vitia tanto apparent uſu, ut legum etiam exquiſito rigore, aut pœna, vix ac interdum ne vix quidem ſupprimi queant.

Præterea quoque hinc nomotheſiæ neceſſitas vel utilitas inter cives conſtat, quod omnia illa, quæ prudentia politica intendit, ſuo modo promovere ac in rempublicam introducere ſtudet. Sunt verò eorum quædam generaliora, ut quæ omnibus rebuspublicis communia vel ſunt, vel eſſe ſaltem debent, qualia exiſtunt honeſtatem ſpectantia; alia ſingulis ſtatibus magis conveniunt, tanquam propria, in quantum

tum commodum particulare unicè reſpiciunt. Ut ſi forte reſpublica aliqua vicinis, enormi cupiditate bellandi infectis, circumdata ſit, unde ſibi quietem, etiam belli ardore reſtincto, & pace legitimo fœdere obtenta, nunquam polliceri poſſit: hoc caſu oportet in condendis legibus, civilibus imprimis & peculiari cura quoque attendere ad id, tanquam huic reipublicæ valde utile, ne ſubditi effœminentur, ac ita tandem aliorum libidini miſerè in prædam cedant, ceu non rarò contingit; ſed ut potius belli & pacis tempore apti ſint, qui contra illos infideles vicinos ſe ſuaque defendant. Eadem ratione & in aliis ſeſe res habet, ut omnes civium actiones non ſolùm ad honeſtatem, ſed quoque ad utilitatem publicam, beneficio legum, ſollicitè ſint dirigendæ: ut utilitas hinc quoque juſti propè mater ſit, & æqui.

Hinc ſequitur leges conſtitui circa negotia, & quidem civilia. Sunt verò duo hic quàm maximè perpendenda: *1. Homines*, tanquam negotiorum executores; *2. Forma*, ad quam ut negotia & actiones civium preſſe exigantur, maxima Principis cura eſt. Ad homines, quibus leges ad obſequium ab earundem conditionibus præſcribuntur, referri debent omnes omnino ſubditi. Quoad perſonam Principis ſolet hoc loco moveri dubium, an & illa legibus obligata ſit? Ulpinianus in *l. 31. ff. de Leg.* Principem hoc nexu indefinitè quidem ſolvit: verùm ſubſequentem diſtinctionem bene obſervandam eſſe vel ipſe

Prin-

Princeps haut improbabit. Nam (1) juri divino una cum omnibus mortalibus utique eſt ſubjectus; & quidem ita, ut ratione ſuæ dignitatis ac conditionis nullo præ cæteris gaudeat privilegio, quod ipſum ab obſequio, divinæ Majeſtatis voluntati debito, liberare quovis modo poſſit. Huic tamen juri non ſunt accenſendæ leges Eccleſiaſticæ, die Kirchen⸗Ordenungen; quas ipſe ſuo populo circa ceremonias & ritus divini cultus præſcribit, quæque eandem cum civilibus ſpeciatim ſic dictis naturam ſortiuntur: niſi fortè in ipſiſſimis fidei ſalutiferæ principiis ſint fundatæ, vel inde agendi formam nanciſcantur, neceſſariò ſequendam.

Nec minus (2) parere conſtringitur juri naturæ: quippe quod Principem non ut principem, ſed ut hominem cum reliquis in mundo degentem, conſiderat; ejusmodi politicas differentias inter homines conſtitutas non adeò agnoſcens. Cùm Principi ejusve arbitrio natura non ſit ſuppoſita; ſed huic ut ſuperiori illum potiùs ſubmittere extra dubium ſit ponendum. (3) Eodem modo & juri, vel omnibus, vel plurimis iisque moratioribus gentibus communi, ſeſe ſubjicere oportet; præſertim ſi cum illis, qui ipſius majeſtatem adorare non tenentur, ei res eſt. (4) Sunt jura publica, illa ſcilicet, quæ circa principatum illiusve adminiſtrationem aliquid determinant; leges fundamentales à Politicis aliàs ap-

pel-

pellata: ſed nec ab horum obſervantia, ubi exſtant, Princeps ſua ſublimitate liberatur; quoniam ſunt pacta ad initium regni, ſuſpenſo inter imperium & obſequium reſpectu, contracta, & propterea juxta leges naturæ & gentium exigenda.

Enumeratæ itaque legum ſpecies vi quadam obligatoria ſunt munitæ, & quemvis hinc obligatum adigere poſſunt ad id, ut actiones ſuas illis metiri cogatur. Siquidem à tali autoritate, cui ipſius etiam Principis poteſtas eſt ſubordinata (ut philoſophi loquuntur) aut quam ſaltem non dirigit, originem & eſſentiam ſuam quàm maximè trahunt.

Superſunt denique (5) leges poſitivæ, vel potiùs civiles in ſtricta ſignificatione (ſive conſuetudine & uſu ſint introductæ, ſive promulgatæ ac ſcriptæ) quæ ut ab arbitrio majeſtatis politicæ ſolùm dependent, indeque vigorem ſuum legalem accipiunt; ita quoq; Princeps eas obſervare vel non, in ſua libertate quidem habet. Interim *digna vox eſt majeſtate regnantis*, inquiunt Impp. in l. 4. C. de LL. *legibus allegatum ſe Principem profiteri. Adeò de autoritate juris noſtra pendet autoritas.* Quandoquidem nihil fortiùs ad obedientiam, juris regulis & conſtitutionibus exhibendam, commovebit, ac exemplum ipſius Principis, legem ferentis. Nec enim Cives ſuos continuo actuum ſuorum ſecundum leges latas exercitio tantum invitabit ad bonos

& ſalutares mores; ſed quoque ſui am
reverentiam : perinde ut econtrà negl
propenſionem jam antè conceptam p
interrumpet, atque hinc diffidentiæ
temptui anſam quandam præbebit. *N*
quidem, inquit Machiavellus, *tam m*
empli in republica eſſe credo, quàm
nuper lata non obſerventur; ne ab e
dem, qui eas tulit: ad Liv. Lib. 1. cap.

Jam ad negotiorum formam: quæ
quam naturam & conditionem legalen
eſt, in bonitate morali & convenient
commodo reipublicæ ponitur, poſtea v
ſtitiæ ſive juſti nomen induit. Juſtiti
vocabulum non ſolùm accipitur pro q
in animo hominis, unde juſtus dicitur;
etiam quatenus vel in actibus ineſt, vel
gibus ipſis. Juſtum autem a Doctorib
ſtris duplex ſtatuitur, *Morale* ſcilicet, &
le: illud honeſtatem redolet, hoc util
eamque publicam.

Cæterùm & obſervandum, quod ill
de hîc jam agitur, negotiorũ forma ſive
ratio, ſeſe legumlatori ſub certis enunci
bus, quæ huic quaſi in artis ſuæ materi
fini præparatam, cedant, offerat. Et v
ſumit legem laturus ejusmodi enunci
partim ex Ethicis & doctrina jus natu
dente; partim ex Politicis, aut etiam i
per accuratam conſultationem in rei
emolumentum, ſive utilitate hoc ex

ſunt inventa. Quæ ab Ethicis & juris naturæ doctrina petuntur, ſunt ibidem concluſiones ex ſuis principiis deductæ, ſive regulæ omnium virtutum.

Verùm hærere hîc fortaſſe quis poſſit, num ſit operæ pretium etiam hæc naturalia præcepta, actuum noſtrorum normas, legibus exprimere; cùm mentibus hominum jam ſint inſcripta, ceu patet ex Apoſtolo Paulo 2. *ad Rom. Verſ. 14. & 15.* addi poteſt Ariſtoteles *Lib. V. Ethicor. c. 7.* At reſpondetur: quamvis illa in animo adſint, atqui bene educatos ac honeſtatis amantes ad rectè faciendum, ipſius virtutis dignitate ac deſiderio, compellere videantur: longè tamen plurimi ad illud Medeæ vivere malunt apud *Ouid. Lib. VII. Metamorphoſ.*

Sed trahit invitam nova vis, aliudque Cupido,
Mens aliud ſuadet; video meliora proboque,
Deteriora ſequor.

Qui ergo vi quadam politica, ut etiam naturâ inſita juſſa exequantur, adſtringendi ſunt. Atqui hac ratione juſtitia univerſalis, cujus meminit Philoſophus *V. Ethicor. cap. 1.* quæq; eſt complexus omnium virtutum, in ſtatu politico demum obtinetur.

Nec minus ſunt concluſiones, quas prudentia ſenatoria in hunc uſum ſuppeditat. Quoties enim Princeps deliberando invenit ali-

quid circa actiones ſuorum civium, hoc modo ab ipſis agatur, vel proſus o publicè utile judicat, illud ſtatim, lege finem ſancita, vel imperat, vel prohibet pertinent leges antè latæ, quæ tamen, v ſuetudinem abiêre, ſed ob ſuam ut nova conſtitutione ad uſum revocand ob defectum quendam, aut etiam corrigendæ. Et illæ hiſce caſibus lo teriæ legum conditori quoque ſunt. S nomotheſiæ duplicem attribuere fa oportet; altera leges novas con tera jam conditas examinare, atque tes ad civilis ſocietatis bonum emen ſet. Quomodo autem ejusmodi leg cudem (ut ita dicam) revocari & poli aminari debeant, de eo Dn. Conringi gium ſpecimen in lucem edidit, exqu *L. 1. Cod. Theodos. de Stud. liberal. U & Conſtan.* Diſſertatione. Ubi C mus Autor ampliſſima ſua laude dign emplum ſuppeditat, ad quod ſi placu juſvis legis examen, collatis ad invic ſis inſtituere, inde exiguo quidem cum magno tamen Principis & rei co commodo apparebit, in qua legis parte ſi quod vel à mutatis reipublicæ circum vel ab ipſius legislatoris imprudentia rit, lateat.

Jam paucis de quibusdam enunci illarum affectionibus, in conſideratio

vocandis. Nam & hîc legiſlator omnino ſit providus, oportet; ne in craſſos & pudendos errores circa leges ferendas prolabatur. Atque hinc *primò* eæ ſint poſſibiles: ad impoſſibilia enim ſicut inter privatos nulla eſt obligatio, ita nec ſubditi publica autoritate ſunt compellendi. *Nihil impoſſibile* (inquit Fredro Monit. Politico-Moral. part. III. §. 79.) *pete aut impera, neque impoſſibilis (exequendo) legis autor ſis; cum impoſſibilitas factum excludat, poſſe non ſatisfieri legi docet, ut primum lex, deinde autor legis contemnatur.*

Neque Princeps tantum ab iis, ſubditis ſuis proponendis, quæ naturaliter, aut moraliter etiam, impoſſibilia ſunt, abſtineat; verum & ab illis, quæ quidem abſolutè conſiderata in actum dari poſſint, ſed huic populo ob circumſtantias quasdam factu impoſſibilia eveniunt: adeò ut nec difficilia valde, aut moleſta, quod benevolentiam in animis civium erga ſe incenſam, quodammodo lædant, temere præſcribere debeat; niſi recta ratio, vel ſalus publica id ipſum neceſſariò requirant. Speciatim enim vel hoc reſpectu etiam regulæ illæ legales ad reipublicæ ſtatum populique naturam ac conditionem quam diligentiſſimè ſunt adaptandæ: cæteroqui contra prudentiam legislatoriam non leves committuntur errores. Ceu colligere

quoque eſt vel ex iis, quæ Conring
ſatione ad Hopperum de Vera
(quam deinceps Propoliticis ſuis
Diſſertationis de varia & maximè
prudentia ſubjunxit)diſſerit: *Juſte
probeque legem ut examines, ne
naturam ante omnia teneas illius
illius ſtatus reipublicæ, ad qua
eſt inſtituendum; ac proinde, ut
libet formam queas oblatam quan
arbitrari, oportet inſtructus ſis
ris rerumpublicarum accurat
quæ leges ſcilicet, qui mores, quæ
cuilibet formæ conveniant, quæ no
adverſentur.* Si leges laturus
neglexerit, vix ac ne quidem, vel,
cidens, errores illos craſſos & ſu
mentoſos declinabit.

Deinde caveat Princeps, ne
enunciationes de quibusvis vilibu
vel nullius ponderis rebus conce
hunc ordinem admittat; in ipſam
vilipendium & autoritatis princi
minimum decrementum. Qua
graviorum tantum, & majoris mo
gotiorum hîc cura habenda eſt, q
tutis ratio exigit, vel evidens reipu
lumentum commendat. De qua
nim re ſi legem vellet componere
non prodeſſet hac ſua induſtria bon

ſed multum potius obeſſet, tædioſa legum multitudine civitatem adimplendo, & propterea civium agendi libertatem apprime gravando. Quare Deus ter Opt.Max.leges, omnibus in univerſum hominibus præſcriptas, decem tantummodo præceptis generalioribus includere voluit. Hujus autem rei inconvenientiam, & detrimentum, quod hinc ſalutem publicam oppidò affligit, pluribus egregiè docet Saavedra *Symbol. pol.XXI.* Hac ratione rempublicam quoque Romanam laboraſſe Tacitus atteſtatur *Lib.III. Annal.cap. 25.* & præterea ex hiſtoria ejusdem juris, ac ingenti copia legum adhuc ſuperſtitum abunde notum eſt. Tantam autem harum vim & abundantiam habuere Romani, ut in illis memoriæ mandandis vita hominis, etiam hujus ſcientiæ ſtudioſiſſimi, vix ac ne vix quidem ſatis fuerit. Cum tamen alias ſocietatis civilis leges in genere ita debeant eſſe comparatæ, ut earum notitia cuivis obſequentium civium facilè pateat: nemo enim poteſt agere, niſi actionis ratio in intellectu jam ſit concepta, ad quam tanquam normam ea more opificum dirigatur. Scitè quidem dixit Ageſilaus copiam legum indicium eſſe infirmæ civitatis; quemadmodum ingens Medicorum numerus in civitate ſignum ſit, in ea varios morbos regnare. Interim tamen reipublicæ intereſt, ut ſint quam pauciſſimæ

 leges

leges, quò eò facilius ab omnibus co
& ſervari poſſint. Videtur etiam T
Morus hunc exceſſū tacitè perſtringere,
do eleganter circa ſuos Utopienſes ita d
Quin hoc imprimis apud alios improba
pulos, quod legum interpretumque v
na, tantum non ſufficiunt : ipſi verò c
iniquiſſimum, ullos homines his oblig
gibus, quæ aut numeroſiores ſint, qu
perlegi, aut obſcuriores, quam ut a
poſſint intelligi.

Denique notandum, quod enunci
vel affirmativæ ſint, vel negativæ, vel p
ſivæ: unde leges virtutem (quam ita
JCtus Modeſtinus in *l. 7. ff. de leg.*)
randi aliquid, aut vetandi, aut verò p
tendi, adipiſcuntur. Nam de legum
eſt, ut bona & commoda præcipiant, h
traria prohibeant, media autem ſubd
libertati relinquant.

Hactenus ea, ex quibus legum
opus ſuum formare debet: jam de ipſ
mandi ratione. Quæ quam maximè
pinor, hiſce perficitur; ſcilicet conce
& vigoris communicatione. Circa
ptionem tria legis potiſſimum ſunt c
randa: 1. Brevitas; 2. Voces; 3.
minus principales, ſive acceſſoriæ.
brevitate exordiamur, tenendum eſt
quam breviſſimè ac ſimpliciſſimè

oportere (cum ea tamen prudentia, ut regulariter omnes caſus, quantum ob contingentiam materiæ, eidem ſuppoſitæ, ulla ratione licet, comprehendant, ac neque deficiant, neque excedant) quò earum ſenſus & tenor cujusvis etiam rudis intellectui ſpontè ac ſtatim obviam eat adeoque ne verborum abundanti copia & perplexitate, vel memoria aggrevetur, vel mens diſtrahatur. Eò etiam faciunt illa Senecæ *Ep. 56. Legem brevem eſſe oportet,* inquit, *quò faciliùs ab imperitis teneatur, velut emiſſa divinitus vox ſit.*

Quapropter & vocum ſignificatio vulgo ac viloris conditionis hominibus non minus quàm eminentioribus familiaris, & ſermo, quo promulgantur leges, patrius omnibusque communis ſit. Nam *leges* (dicit Mariana de Reg. & Regis Inſtit. *Lib. III. cap. II.*) *neque ita multa ſint, ut ſe ipſas impediant; neque ita difficiles, ut non ab omnibus, mediocri ingenio præditis, intelligantur.* Et magnæ dementiæ res eſſet, ſi quis vellet V. G. in Germania leges Turcica, vel alia, paucisſimis aut nulli nota, lingua ſancire. Atque hinc Guilielmus Normanniæ Dux, & poſtea quoque Angliæ Rex, meritò a Polydoro Virgilio aſperè perſtringitur, quod Anglico populo novas leges (ſublatis omnibus a prioribus Regibus ad bene beateque vivendum conſtitutis) Normannica lingua, quam neque

Galli, neque Angli rectè callerent, p
ptas dederit: *Lib. IX. Hiſtor.* Q
pter etiam malè Campanella hoc exer
ad aſſerendam ſuam intentionem pro
Hiſpaniæ adduxit *in Cap. 27. de Mon.
Hiſpan.* tanquam enorme & contra vera
dentiæ principia memoriæ traditum.

Ordo nos invitat, ut partes quoque
expendamus: quas minus principale
acceſſorias appellare placuit, quia adeſ
gibus & abeſſe ſalvâ earum eſſentiâ po
Sunt autem *Prologus* & *Epilogus*. D
logo dubitari poſſit, videlicet utrum l
jusmodi præfationem, quæ ab honeſta
utilitate aliqua inſigni commendetur,
que animus excitetur ad expeditiorem
dientiam, præmittere conducat. Siqu
Plato, & qui ejus opinionem hoc in caſ
quitur, Cicero, illud quidem comprob
at Senecæ nihil frigidius, quam lex (
proprium eſt *jubere*) cum prologo vid
Ceu teſtatur Rittershuſius *Orat. de Cha
& Zaleuc. & Nomotheſia utriusque.*
rum mediam eligere viam fortaſſe tutiu
& hinc non ineleganter Baco. Verulam
Neque nobis, dicit Sermon. Fidel. LXI. a
69. *prologi legum , qui inepti olim h
ſunt, & leges introducunt, diſputantes
jubentes; utique placerent, ſi priſcos m
ferre poſſemus. Sed prologi iſti legum*

rumque (ut nunc ſunt tempora) neceſſariò adhibentur, non tam ad explicationem legis, quam inſtar ſuaſionis ad perferendam legem in comitiis; & rurſus ad ſatisfaciendum populo. Quantum fieri poteſt, tamen prologi evitentur, & lex incipiat a juſſione. Scilicet cum voluntas ſpontè agere facilè recuſet, niſi intellectus informetur, & quodammodo occupetur, atque Principis, præſertim quando abſoluta & indeterminata poteſtate non gaudet, admodum interſit, ut ſubditi ſpontaneo motu obedientiam ſuam exhibeant; hinc e re ipſius quoque erit, illorum mentes imbuere opinione, perſuaſoriis maximè argumentis confirmata, qua ſibi aliquam ſaltem legis bonitatem deſiderabilem imaginantur. Ceu etiam manifeſtum eſſe videtur ex iis, quæ Cicero eleganter obſervat Lib. I. Officior. *Huic veri videndi cupiditati adjuncta eſt*, inquit ibidem, *appetitio quædam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, niſi præcipienti aut docenti, aut utilitatis cauſa juſtè & legitimè imperanti.* Siquidem vel quivis igenuus, niſi is, qui præcipit, mandati utilitatem, vel juſtitiam, naturæ atque legibus civilibus congruam, evidenter demonſtret, haut modica parendi difficultate perfunditur. Quamobrem bene ſe quoque habet Campanellæ conſilium ad Regem His-

paniæ, quando dicit: *Leges ita c*
ſint, ut populus ſervet cum am
quam timore; videns ſcilicet illa
les eſſe: de Monarch.Hiſpan. cap.
nes autem invictæ & moleſtæ ſæpiu
cipatu aliquid apportarunt mali;
illi, qui tales injunxit, vel earum au
Sed & ad voluntatem civium in
in id, ut requiſitam legibus ob
præſtent, majorem ſanè vim confer
qui annectitur, & homines, vel ſ
vel etiam virtutis & commodi pub
moveri detrectantes, præmiis aut p
cienter impellit. Præmiis enim
nis vel totam rempublicam contin
quoque Legislator inter Græcos
celebris, bene docet. Ex hiſce p
num quoddam fortunæ, ſive illu
tantum, ſive honor, ſiva utroqu
complectuntur: quibus utilit
tes plebei, aut cæteri nobiliores g
di, ad pulchra facinora excitant
ut Poeta inquit,

Ipſe decor recti, facti ſi præmia
Nil movet; & gratis p
probum.

Pœnæ verò incutiunt dolorem,
tæ ſunt demum illis, qui neque
actionis, neque pudore, neque lau
tuperio, neque etiam propoſito bene

mutabiles ſunt: ut hiſce aut ad rectum flectantur, aut prorſus pro conditione perpetrati delicti e numero civium eximantur juxta illud; *Pudor quemcunque non flectit, frangat timor.* Atque interdum tantum bona externa concernunt, ut pecuniam, exiſtimationem, vel ſtatum; interdum corpus, atqui adeò planè vitam ipſam. Ac conſtituuntur pœnæ, eodem modo ut & præmia, vel indeterminatè, quantitatis determinatione ſcilicet ipſius Principis arbitrio reſervata; vel determinatè, quando pœnæ & præmia legibus definita & expreſſa ſunt.

Reliqua eſt communicatio vigoris; absque quo lex quaſi inanimis & emortua eſt: vitam enim legi comparat, & omnem venerationem. Dependet verò hic vigor, tum a *Vi coactiva*, quam quoque vindicativam nominat *Puffendorf. Element. Jurisprud. Lib. I. Definit. 13. § 12.* tum etiam ſecundariò ab *Autoritate* ipſius legislatoris. Vim coactivam quod concernit, largitur illam majeſtas politica; ita ut absque hac lex ne mente quidem concipi poſſit talis. Conjunge Bodinum *de Republ. Lib. III. cap. 5. init.*

At nec contemnendum legibus robur confert legislatoris autoritas, ſive opinio, quam ſubditi de ipſius prudentia, virtute & benevolentia fovent: hæc enim tria in plebe & omni populo fidem, & inde promptius obſe-

quium, concitare valent. Quare,
rem ſuis conſtitutionibus adderen
tem, ſimul & efficaciam coactivan
legumlatores prudenter ſuo more &
ingenioſè finxerunt, civibusque, ſe
petiiſſe, perſuaſerunt. Sic Numa
ab Ægeria, Minos Cretenſium R
Lycurgus conſilio Apollinis, atqu
unde leges ſuas ſe accipiſſe ſimular

Ex ſupra dictis facile colligere e
adminiculis inſtructus eſſe debeat i
mothefiæ cura incumbit. Neque
cit, in genere prudentiam legislato
lem in Scholis forſan addiſcimus, a
jecti ſingularis conſideratione ſibi
viſſe: ſed & oportet accuratè nov
blicæ, cui operaturus eſt, conſt
ſcopum, incolarum ſtudia, inclina
quantum hæ a ſcopo aberrantes a
an natura, an aſſuefactione inſint,
quatenus ſanabiles, quave ratio
poſſint: & ſi quæ ſunt alia.

Præterea & voluntas ipſius leg
toris ita ſeſe habeat, ut ab omnib
bus immunis ſit: ne vel amore i
odio in illos legis juſtitia conſtituat
niſi ab hiſce ſibi temperaverit, ſane
ſtatum in irreparabile damnum
bit.

Cæterum cum negotium con

jugum ſit magnæ conſiderationis, imperantes ſibi alios in laboris hujus ſocios adjungere ſolent. Sed hìc omnino obſervandum eſt, ut tales eligant, qui ſint idonei; nimirum quorum *ſolertiam & legum ſcientiam, & circa juſſiones fidem* (ut loquitur Imperat. Juſtinanus Proœm. Inſt. §. 4.) *jam ex multis rerum argumentis,* acceperint. Ita demum Princeps rempublicam ſalutaribus legibus providebit, & conſequenter morbos civiles in populo ſuo ex animi ſententia curabit.

CAP. IV.

DE

Prudentia Senatoria.

REm magnam quidem præſtitit Princeps, quando civitatem ſuam bonis & conducibilibus inſtruxit legibus, ad quas tanquam amuſſes ſubditi actus ſuos, commodo publico convenientes, formare paulatim aſſueſcant: ſed haut minor ipſi incumbit cura circa prudentiam ſenatoriam ad dirigenda negotia publica, tum interna, tum externa. Tametſi enim actiones privatorum ad ſalutem reipublicæ accuratiſſimè componantur, nihil eſt, niſi quoque publicæ eo prudenter exigantur. Quare hæc ſit quaſi filum Ariadneum, quod Principem ad obtinendam ſuam

intentionem, providè dirigendo
civilia, manuducat. Absque hac
tanquam oculo mentis cæco ſimillimu
vel nunquam, vel caſu demum, ſed n
errore, moleſtia, & maximo ſæpe p
ad ſcopum deſtinatum perveniet.
nulla quoque actio, præſertim alicuj
deris, ſuſcipiatur, quam hac non meti
teat Principem, & quàm adeò exquiſi
ſultatio non antecedat. Valet enim
mi qualitate inſtructus prævidere, qui
ſuo expediat, quod propterea amplect
& quid noceat, aut obſtet, quod verò
dum. Atque hinc prudentia a pro
Latinis derivatur, quod futura provi
Et definiatur hîc, quod ſit prudent
tica rectè deliberandi circa civilia, qu
cipi faciendum, quid omittendum ipſ
ſtendens. Finis verò, quem intendi
litas publica. Nam *Conſilium dant*
Ariſtoteles Lib. I. Rhetor. cap. 6. *Utili*
poſita eſt, ad quam omnia dirigat.
enim operatur, ut inveniat media c
& utilia, tum ad felicitatem civilem,
ve ejus aliquam comparandam, vel
obtenta, conſervandam; tum etiam
la, quæ imminent, hanc felicitatem
ra, aut ſaltem impeditura, removenda
Spontè quodammodo exinde flu
in quibus hæc prudentiæ ſpecies occu

& in quibus non : quippe omnia, quæ ſub deliberationem politicam cadunt, quoque hujus ſunt adæquatum objectum. Siquidem prudentia deliberativa & ipſa deliberatio tantum differunt, ut animi qualitas & inde promanans actio. Non autem ſolent conſilia exquiri circa ea, quorum vel natura vel fortuna cauſa eſt; ut ſolis ortum & occaſum, aut theſauri inventionem : nec etiam circa jam præterita, neque humana promiſcuè omnia; ut ſi quis Germanus V. G. vellet inquirere in rationem, qua res publicæ Braſilianorum quam optimè & prudentiſſimè poſſent inſtitui, aut ſi quis, ſcribendi non ignarus, de iis, quæ arte jam accurratè comprehenſa ſunt, ut uno ſemper modo a nobis fiant, exempli cauſa, quomodo litera ſit pingenda, conſultaret, ſtultus foret. Denique nec finis huc referri debet ut finis: poteſt tamen tanquam medium quoddam ad remotius propoſitum conſequendum ſub conſultatione fuiſſe, antequam naturam finis induerit; ceu ex ſubſequentibus paulò clarius eluceſcit. Quoniam hæc omnia tali modo ſunt comparata, ut vel non ſint in noſtro arbitrio poſita, ſed aliena; vel ita certa & determinata, ut nulla inquiſitione indigeant, verum absque operoſa mentis agitatione expediri poſſint, hic locum non habent.

Sed in deliberationem veniu
ſive agibilia, contingentia & ſingula
rum notari debent conditiones, ge
jusvis deliberationis objectum de
tes. Nam conſultamus (1.) de m
nem, quatenus in actionem danda
de incertis quodammodo , & ad
teſte Ariſtotele *Lib. III. Ethic. ca*
niam conſultando quærimus aliq
ad noſtrum deſiderium conſequen
ret idoneum (3.) de iis tamen , q
expediri poſſunt ; qualia ſunt q
quæ amicorum ſtudio & operâ
cum aliquatenus noſtra opera fier
(4.) denique de illis, quæ ad nos
etenim aliena, qua talia, non ſun
ceu paulò antè indicatum.

Conſiliarius autem, qui de ali
cipis negotiis, ſuæ fidei ac prud
miſſis, conſilia agitat , aliquo
pertinentia, ſaltem ab officio ſuo
tractat. Præterea contingit, cum
caſione belli, ubi negotia ipſius h
bis, idque prudenter, in conſilium
Nam poteſt forſan intentio quæ
per exploratores, aut ſimili ratio
eſſe delata , ut media tamen , q
ſuam intentionem obtinere ſpera
lateant ; hic noſtrum eſt inquire
modos, & ex illis eligere, quem ad

nem ſui propoſiti ipſum hoſtem elegiſſe ratiocinando conjectamus: quo ejus conſilium tempeſtivè elidere ac ſubvertere queamus. Exemplum hoc loco notari poteſt, quod occurrit apud Salluſtium Bell. Catilinar. Ubi *reliquos* (ſcilicet ex auſugientibus ſuis militibus) *Catilina per montes aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit, eo conſilio, ut per tramites occultè profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præſidebat, ex difficultate rerum eadem illa exiſtimans, quæ ſupra diximus Catilinam agitare.* Quali de caſuum genere, & quomodo ſe in illis prudenter gerere debeat Princeps, egregiè quoque diſſerit Saavedra *Symb.LXXIX.* Talia videntur quidem aliena, ſed propter commodum inde promanans quadam ratione & ad nos ſpectant, ſaltem per accidens.

Speciatim verò ad eam, qua de impræſentiarum agitur, prudentiam referuntur negotia politica tantum, & quidem conſultabilia: quorum quinque præcipua capita ab Ariſtotele recenſentur *Lib.I. Rhetor. cap.4.* Horum *primum* eſt de reditibus civitatis; *Secundum* de iis, quæ ad bellum ſpectant & pacem; *tertium* vero de defenſione regionis; *quartum* de illis, quæ importantur & exportantur; denique *quintum* de legibus. Quo loco

loco latius quoque ſingula proſ
quæ circa unumquodque ſumr
ſidernda , oſtendit Philoſoph
Quamvis autem hæc ſint præcipu
momenti deliberationis civilis m
tamen totum ambitum huc p
comprehendunt , teſte Conring
Prudent. cap. 12. At quæ deſide
& reipublicæ, in qua Princeps ve
ceſſitas, nec non ipſius Principis
ctio, quovis tempore indicabunt
liqua pergere liceat.

Et quidem jam veniunt notand
liberationis actum illa, absque qu
genti obſervatione Princeps conſil
rus haut ſecus quam male ſibi con
verò hæc : 1. Tempus. 2. Media
Ratio. 3. Delectus mediorum (i
In hiſce enim tribus non uno, ſed
dis errare & decipi quis poteſt. N
mo loco de tempore agamus) &
conſultandum, & quamdiu, ſun
momenta, unde interdum, ubi i
ſervantur, vel negliguntur, optat
nis conſecutio oppidò impeditur
tidianâ experientiâ animum huic
denti ſubinde exempla, eaque in r
nis magnum detrimentum perac
poſſunt. Ac nota eſt illa Roman
ſtatio in captando conſilio de aux

tinæ urbi, ab Hannibale Carthaginienſium Imperatore bellico obſeſſæ, ferendo; Romanis eousque, donec urbs in hoſtium poteſtatem delapſa eſſet, ſuam conſultationem extendentibus. In quàm varios autem animi motus propterea hic inopinatus eventus eos compulerit, luculentè docet Livius *Lib. XXI. cap. 16.* Et Tacitus de Fabio Valente pulchre notat, ipſum inutili cunctatione agendi tempora conſultando conſumpſiſſe; cum ſuo maximo periculo: *Lib. III. Hiſt. cap. 40.* Ita *deliberando ſæpe perit occaſio.* Verum non minus præcocia conſilia quandoque Principis commodo maximopere obſunt. Nam concipiuntur præcipitantiâ iſthac ſæpiuſcule contra prudentiæ monita: interdum & in ipſam honeſtatem graviter peccant, magnamque turpitudinem habent adjunctam; ut eorum executio inevitabilibus periculis, quæ hinc ſequuntur, ipſos autores miſerè involvat: ceu variis, iisque egregiis, exemplis hoc oſtendit Camerarius *Hor. Succiſiv. Centur. I. cap. 55.* Ne autem deliberationis initium ſit minis ſerum, neque etiam inſtantia negotia mentem diſturbent, unde, vel nullum, vel immâturum conſilium ſequatur, ſuadet Imp. Emanuel Palæologus in Præceptis educationis Regiæ ad Filium *cap. 84.* ut potius prius quam ſit opus, quaſi in futurum uſum conſultationes in-

inſtituantur. Quoniam conſul
ſio perſæpe eſt brevis; ceu obſer
Jul. Cæſarem *Lib.V. de Bell, Gall.*

Quod concernit rationem
attingendo apta inveniendi, in
præſuppono, illa hactenus eſſe inc
bia, adeoque ignota. Nam co
inquirere, & conſulatio eſt inquiſit
cum dubitatione conjuncta.
ergo eſt modus aliquis, quo in noti
illius, quod ſcire & deſideram
quoque intereſt, pervenire poſſin
vero mens humana ratiocinand
notis in ignotorum cognitionem
haut alia Principi deliberaturo via
propoſitum ſuum deſiderata erunt
eſt; quo in futurum ipſi ſint m
definita. Quamobrem ut illuc
requiruntur in eo quædam jam a
ex quibus tanquam indubitatis
media, & tandem ipſum conſi
abſque ejusmodi principiis nunqu
accidens ſaltem conducibile &
evenire queat) deducit. Hac co
ne, niſi fallor, Cicero *Lib. II. de*
prudentiam in tres diſtribuit qu
Memoriam videlicet præteritorum
gentiam eorum quæ jam præſenti
Providentiam futurorum.

Ad memoriam refero omnia

geſta, & hinc comparatam experientiam, ſive propriam, ſive alienam. Sed quoque univerſales propoſitiones, ſive in politica doctrina demonſtratæ, ſive per inductionem quandam a ſingularibus abſtractæ, adeoque hac ratione fide dignæ, eo pertinere videntur: quoniam & hæ memoriâ hominis politici asſervantur in hunc unicè uſum, ut intellectus ex illis, velut jam cognitis principiis, ad notitiam eorum in ſocietate civili agendorum, quæ hactenus latebant, atque ita ignota erant, deveniat.

Juvant autem imprimis hic Hiſtoriæ, & res geſtæ, vel ea de cauſa, quia ſuppeditant quaſi ideas antea actionibus applicatas & impræſentiarum, vel imitandas, ſi e re reipublicæ futuræ; vel ſi minus commodæ, nec ſalutares compertæ ſunt, declinandas: adeoque animum magis ad praxin diſponunt. Hinc Livius in Præfat. Hiſtorici ſui operis: *Hoc illud eſt præcipuè in cognitione rerum ſalubre ac fructiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuaque reipublicæ, quod imitêre, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Nec minus digna ſunt, quæ huc adſcribantur, illa Saavedræ. *Sæcula præterita veluti noſocomia quædam ſunt* (dicit graviter ſimul & appoſitè Symbol. pol. XXVIII.) ubi *cadavera rerumpublicarum & monarchia-*

chiarum, quæ aliquando floruerun... dendo inſpiciunt, & rimantur A... ut præſentes tantò curent meliùs ... nautica ſunt, in quibus cum alieni... ſtatibus & navigationibus ſecundis ... gantur littora, bolide exploran... ria, brevia deteguntur, depre... tur ſcopuli, & regnandi linea ... tur. Quapropter optimè etia... dentiſſimus Solon ex notis ignota ... jubet. Atqui eleganter in eandem... tiam concludit Boxhornius Emblem... II. *Nemo, niſi conjectis primum in... evenire poſſunt, oculis, ad negotiu... cingat. Quid evenire posſit, doce... iam, quæ aliis evenére. Nobis qu... teres vixére in exemplum, ut nos ... Fortunam ſuam ut expertus quivis, ... ſequendam, aut fugiendam, ad alio... mittit. Sic nemo ſibi tantum aut f... miſer fuit. Homines enim humani... bus æquè obnoxii ſumus. Accidere ... poteſt, quod unum aliquando aut ... aut oppresſit. Ex eventis de cauſ... candum.*

Cùm verò negotium hoc ratioc... expediatur, hactenus ad memoriam d... jorem dabunt propoſitionem, atque ... gentia (quæ eſt rerum præſentium ... tationemque expetentium, ac earum ... & conditionis accurrata cognitio) ...

ſuggerit: unde ſponte ſequitur concluſio, oſtendens providentiam rerum futurarum, actione exprimendarum. Conjunge quoque hîc, quæ Piccartus in eandem ferme rationem diſſerit ad *polit. Ariſtot. Prolegom. non procul a fin.* Haut diſſimilem rationem in conſiliis colligendis obſervaſſe Julium Agricolam, perſpicuè (niſi fallor) videri poteſt ex iis Taciti in Vita hujus Agricolæ cap. 19. *Cæterum*, inquit, *animorum prudens, ſimulque doctus per aliena experimenta, parum profici armis, ſi injuriæ ſequerentur, cauſas bellorum ſtatuit excindere.* Sed circa majorem & minorem propoſitiones omnino obſervandum eſt, ne Princeps incognita (ut cum Cicerone loquar) pro cognitis habeat, hisque temere aſſentiatur. Quippe *quicquid in conſultando peccatur*, dicit Ariſtoteles, *vel ad res univerſas pertinet, vel ad ſingulares. Nam vel omnes aquas graves eſſe inſalubres; vel hanc eſſe gravem neſcitur:* Lib. VI. Ethicor. cap. 8. Idque ipſi haut eſt negligendum, quo craſſos ingentesque errores, & quæ hoſce ſequuntur, temeraria conſilia, quibus nihil periculoſius rerumpublicarum moderatoribus unquam exſtitit, effugiat.

Conſultatione eousque perducta; vel unicum ſaltem medium pro fine commodè obtinendo inventum, vel plura. Si prius, ele-

electione haut eſt opus: Sin vero pl
offeruntur media, requiritur cumpri
lectus, quo illud, quod optimum app
conſultatis eligatur, reique publicæ a
tur. Quo autem delectus ritè per
vel etiam illud, quod unicè inventum
ſeſe habeat, & in conſilium decerni poſ
tea duo quam diligentiſſimè Princeps
volvat; Scilicet 1. Suæ civitatis præ
ſtatum, conditionem, vires, ſubditor
vitias, inclinationes, & quæ ſunt
ſpectantia; 2. mediorum inventoru
litates, ſive notas, quibus ſæpe unum
ris longè antecellit, atque convenient
Hiſce enim accuratè invicem collatis
cipis prudentis judicium in eligen
facile errabit. Nec ſatis eſt, mediorum
quiſitorum naturam conſiderare tantu
etiam ſubditorum, quid, nimirum poſ
in quantum illorum vires quoad tempu
ſenti proximum ſeſe extendant: ſed q
quid fieri optent; quò in animis ipſoru
nevolentiam, quæ longè faciliùs am
quam acquiritur, cum magno ſuo con
conſervet Princeps. Sed quid; ſi nec
imperaverit conſilium quod civibus
gratum futurum eſt? Hoc caſu eorum
mos opinione, delinimentis oratoriis
borata, imbuere, aut alia ratione a m
apparente declinare, quam lædere, ut

mum conſultius exiſtimant prudentiores Statiſtæ; ceu illud eorum praxis teſtatum facit.

Ad qualitates præterea non minus, & quidem cum induſtria, exigantur media. *Nam Conſiliarii primum opus eſt* (inquit Auguſt. Niphus de Reg. perit. Lib. IV. cap. 15.) *quæ agenda ſunt, conſilio inquirere ac veſtigare: ſecundum de his, quæ recto conſilio adinventa ſunt, diligenter, quid melius, quidve pejus ſit, dijudicare.* Colliguntur autem ejusmodi qualitates hinc, ſi medium ſit honeſtum; ſit utile; ſit poſſibile; ſit facile. Ex hiſce ſiquidem quaſi ſignis nullo negotio judicare poteſt, quodnam alteri ſit præferendum. Ut turpe nunquam, nec ullo modo amplectendum; ita nec inutile; Dicendum vero eſt inutile, non ſolum quod ad bonum adipiſcendum, vel malum imminens avertendum, inſufficiens & imperfectum eſt; ſed etiam unde majora incommoda, quam quæ finis ſuo pretio compenſare poteſt, redundant. Hac ratione quoque non rarò in republica, occaſione belli & pacis, inconſideratè peccatur, quando laborum ac ſumptuum in media impendendorum, vel etiam damni inde emergentis, magnitudo rei, quæ ſperatur, æſtimium multum ſuperat.

Sed non minus requiritur, ut & poſſibile ſit, & quidem tale, non tantum in genere, ſed

ſed quoque illud in ſuum commodu
genti ſpeciatim. Nam poteſt interdu
quid fieri generatim, quod tamen ab h
vel illo, propter requiſitorum hîc fortè
ſariorum abſentiam expediri nequit.
ſertim vero illud circa negotia civilia
vandum eſt, quod absque ingenti erro
tra prudentiæ regulas commiſſo, & ha
nori autoritatis macula ſuſcipi non
niſi quæ effectu ſint poſſibilia. Un
dro: *Non moliaris, niſi quæ præſt*
tes; ne prodas impotentiam: Mo
litico-Moral. Part. I. §.65. Pertinet
priè Symbolum LXXXI. & ea, quæ S
ab initio ad illud diſſerit. Digna
ſunt, ut hoc loco notentur, illa, qu
chiavellus *Diſcur. ad Liv. Lib. I. cap*
geniosè docet: *Metiri*, inquit, *opor*
vires tuas ſimul atque hoſtis; ac ſi
ſuperiorem eſſe certò cognoveris, fo
mo illum adoriri licebit; ſin minus
eſt, eum relinquere, ne tibi idem co
quod iis populis, qui vicini Roman
habitantes fœdus adverſus eum pep
quibus, ut ex eventu apparuit, long
fuiſſet, a bello abſtinere, & paucis
illorum amicitiam conciliare, qu
ctam jam illorum potentiam irrit
ad excogitandas novas artes bellica
lere. Hæc quantumvis fortean ad

bellicam infra fuiſſent reſervanda ; hic tamen, tanquam ad propoſitionem argumenti generalioris illuſtrandam, non minus utiliter & convenienter applicari potuêre.

Quare Principem animum curiosè ad hoc intendere oportet, ne id, quod agere ſuſtinet, ſuarum virium menſuram egrediatur ; ſed ut in praxin dari, & ad ipſo expediri poſſit ; accuratè etiam perpenſis circumſtantiis ejus, cui illud applicare animum induxit. Quod Hiſpani cum maximo ſuo decremento neglexerunt, inquiſitione, quam prudentius in regno Neapolitano adhibuerant, uno eodemque modo circa Belgas (populum longè aliis moribus ab Italorum inclinationibus præditum) inſtituta ; ceu bene hoc obſervat Boxhornius *Inſtitut. Pol. Lib. I. cap.* I. *Explanat.* Impoſſibile itaque fuit hoc conſilium, non quidem ſimpliciter, ſed ratione objecti, cui illud applicare Hiſpani decreverunt. Nam perinde ut Medico, in iisdem licet morbis, non eadem ſemper ſunt remedia, ſed pro diverſâ hominum natura alia atque alia : ita & bono politico conſilia corporis civilis conſtitutioni diligenter attemperare incumbit. Notanda etiam omnino hîc loci ſunt, quæ idem Boxhornius eleganter diſſerit *Diſquiſ. Polit. Caſ. LVII.*

At eſt quidem ſæpe aliquid poſſibile, verum magna cum difficultate conjunctum.

Quapropter & Principis prudentis eſt
ribus mediis præterea eligere illud q
fectu omnium facillimum ſit. Facile
videtur eſſe, quod magna moleſtia v
à periculo (ſive per vim, ſive per dolu
aliunde) metuendo maxime tutum e
hinc admodum prudenter concludat
panella: *Reſtat igitur, ut conſilia*
facilitatis & ſecuritatis habeant, ſi
ne fundata & matura, rebusque fo
quantum fieri poteſt, non ſubjecta:
narch. Hiſpan. cap. 12. Cum hiſce
ſunt, quæ Tacitus ex ſententia Mucia
Omnes qui magnarum rerum conſil
piunt, æſtimare debent, an, quod in
reipublica utile, ipſis glorioſum, au
ptum effectu, aut certe non ardu
Lib. II. Hiſtor. cap. 76. Tali itaq
ſione circumſpectus ſit Princeps opo
vel prorſus abſtineat ab actione dubi
riculoſa: vel verò, quoties ejusmo
ditiones evitare non poſſit, cautè
illa impedimenta, quovis modo imm
tempeſtivè animadvertendo & inger
clinando; ne temere, ut ſæpe præſert
pore belli contingit, in ingens diſcr
damnum prolabatur.

Poteſt interdum Princeps callidis
objectum ad propoſitum ſuum ita d
ut quod antè vel difficile, vel impo

debatur, hac ratione facile fiat. Quo in caſu Philippus Macedoniæ Rex egregium oſtendit prudentiæ ſpecimen, quando regnum maximis periculis obnoxium, finitimis nempe undicunque in Macedoniam irruentibus populis, bellisque veluti conſpiratione quadam ad opprimendam Macedoniam multarum gentium ex diverſis locis uno tempore confluentibus, accipiens, alia (cum omnibus par eſſe non poterat) interpoſita pactione compoſuit, alia redemit facillimis aggreſſis, ut militum trepidos firmaret animos, & ſibi hoſtium contemptum demeret: Veluti hæc commemorantur in *Supplem. ad Curt. Lib. I.*

Denique hic obiter notandum, interdum aliquid eſſe neque abſolute inhoneſtum, neque inutile, neque impoſſibile, nec etiam effectu difficile; ſed ut Princeps illud omittat, decorum jubere. Quare haut laudabile fuit conſilium Veſpaſiani, ad colligendam ſibi ex lotio pecuniæ quandam vim decretum. Inventum ſanè Cæſarea Majeſtate indignum. Sed Alexandro M. longè alia mens fuit: qua de cauſa Parmenionem ejusmodi conſilium, gloria regia (ceu ſibi perſuaſum habebat) indignum proponentem acriter perſtringebat: ut videre eſt apud eundem Curtium *Lib. IV. cap. 11.*

Hactenus qua ratione media i
item quomodo ad præſentis rei ſtatum
ditionem, habito ad honeſtatem, ut
& ſic deinceps reſpectu, inclinari & ap
beant. Hinc tandem ſequitur toti
deliberativi concluſio, ſive ipſum c
quæſitum: ut nihil, niſi illius ad a
translatio ſuperſit. Ut autem con
determinati expeditio tanto facilius
quædam adhuc in Principe (tanqua
agente principali, etiam quoties per a
lut inſtrumenta ſua, conſultatum in
dare placet) veniunt neceſſariò perpe
Sunt autem hæc: (1.) Circumſpectio
lantia haut perfunctoria in omnes
ſtantias; ceu paulò poſt pluribus i
mus. (2) Diſſimulatio eorum, quæ
landa ſunt: nam intempeſtiva con
revelatione agendi occaſio ſæpiſſimè
tur, & hinc nulla res magna, ut Cu
quitur, ſuſtineri poteſt ab eo, cui tace
eſt; adde *Boter. della Ragion. di Sta*
(3.) Fortuna ſaltem non adverſa: cu
cipis fortunam etiam illos actus, c
alios gerit, comitari videamus, iiqu
tatem inde aliquam in ipſius Princip
modum nanciſcantur. (4.) Animi c
tia & vigor. Qui enim trepidè & du
rem gerit, minus quam oportet, ex
& occaſionem ſæpe nunquam reditur

rumpit: nam qui quoſcunque inopinatos ac temerarios caſus timet, illum ſimul multa, quæ ex uſu ſuo ſunt, negligat, oportet. Sed & omnes inordinatæ animi paſſiones, ſicuti conſilium capienti Principi prorſus abeſſe debent; ita ſubſequentem actionem valde impediunt, & ut vel remiſſius, vel intentius, quam par eſt, agatur, in cauſa ſunt. Siquidem affectus turbulenti rationi imperium præripiunt adeoque & mediocritatem ab intellectu definitum ſusque deque habent; ut vel excedant, vel declinent, prout magis minusve fervent.

At verò circumſtantiæ, quæ conſilium ejusve ſubſequentem actionem comitantur (ut de iis aliquantò plenius atque majori cum conſiderantia denique agamus) ſæpiſſimè in novam quaſi conſultationem adducuntur. Non enim de mediis tantum reperiendis, ſed & repertis quemadmodum ſit utendum, conſultare ad prudentem Principem omnino pertinet. Hac de cauſa deliberationes quaſi ſecundariæ, & ex principali ortæ, inſtituuntur, tum de perſonis conſilium expedituris, tum de inſtrumentis cæteris, ſive animatis, ſive inanimatis (ut ſunt equi, arma, nummi &c.) item de modo agendi; de eo, circa quod actionem inſtituere oportet; deque loco; & haut rarò etiam de tempore. Vid. *Leo Imp. Lib. de Apparat. Bell. can. 3.*

Circa quæ omnia quomodo ſeſe p
ter habere oporteat, aut ſi horum aliq
ſit V.G. pecunia, aut alia negotio
ſervientia, quomodo comparanda ſint
ritur. Nam primò de perſonis gra
ventilatur quæſtio, quibus rei deliber
peditio ſit committenda: cum ab haru
neitate ad præſens negotium magna
&c optatus eventus dependeat; econt
ſi inidoneæ fuerint electæ, ſucceſſu
infauſtusque, imò ſubinde damnoſu
dat. Ut quotidiana experientia illud
dè teſtatur; adverſa fortuna, quam
gratioſa Principum conniventia com
hanc aut imprudentiam, aut malitian
ſante. Quamobrem haut vulgare e
dentiæ caput, ſuos ad unguem noviſſe
illud Martialis:

Principis eſt virtus maxima, noſ
quibus ſcilicet ingenii qualitatibus v
quâ agendi dexteritate & diligentia,
ſide rem antehac egerint. Unde P
facillimè conſtabit, quos ad hæc, quo
ad alia expedienda aptos æſtimare atq
hibere debeat. Exempli loco ſit illa
vatio, quam Fredro inter Monita po
moralia tradit, quando dicit; *Serâ e*
entiâ compertum habeo, eos, qui pru
dictorum & conſilio valent, rarò util
ctû & exequendo; Part. III. Monit. 14

In illis autem, qui a Principe fortè ad conſilii expeditionem eliguntur, requiro cum citato jam Autore dict. loc. Audaciam, Activitatem & Conſtantiam: præſertim ſi res agenda ſit ardua, atqui etiam laboris plena. Quibus requiſitis tamen & providentiam adjungere fortaſſis commodum erit. Atque hinc de Jul. Cæſare Suetonius dicit, dubium eſſe, an in obeundis expeditionibus cautior fuerit, an audentior: quanquam & activitatem non minus atque conſtantiam idem actionibus ſuis probavit; ut longiſſimas vias incredibili celeritate confecerit, laborisque ultra fidem patiens fuerit: quemadmodum hæc ipſius vita pluribus ab eodem Suetonio commemorantur. Sed & haut abſurdum fortaſſis eſt, providentiæ tanquam comitem addere ſuſpicionem aliqualem (multis occaſionibus, cumprimis bellicis, tum aliis, non ſolum vices alicujus gerenti, ſed quoque ipſi actionum civilium moderationem ſummam tenenti, ſive Principi, neceſſariam) & præconceptionem mali vel impedimenti fortè futuri, quod noſtro negotio evenire, atque hinc intentioni obeſſe poſſit: ut in omnem eventum paratos nos præſtemus ad ejusmodi accidentia, quæ circumſpectus animus ſuſpicatur acceſſura, vel declinenda in tempore; vel verò, ſi ea declinare non valeamus, ita moderanda, quò minus obſtent, aut noceant. Providam

illam ſuſpicionem Jul. Cæſari omni
ſe, quoque manifeſtum eſt ex reb
geſtis, præſertim adverſus Gallos &
nos. Haut facilè enim fidem al
(etiam reconciliatis) ſibi datam
ſpicione habuit: atqui ea ration
periculis ſeſe feliciter liberavit; ce
re eſt in Commentar. ipſius de hac
ne paſſim. Non minori in ejusm
ſione videtur uſus prudentia Hen
Angliæ, qui, *quanquam fiducia p*
perium ſuum in futurum nihil
ludum fore, & regni tantummod
nem ſine moleſtiis, pro certo ſib
rat; nihilominus ut Princeps cau
gilans conſtitutum apud ſe habeb
omittere eorum, quæ ad præſidium
ritatem ſuam pertinerent: teſte
in hujus Hiſtoria. Qui enim ſu
videtur etiam eſſe cautus; nam d
catur, facile etiam cavet, ne decipi
mnino huc faciunt, quæ Baudius e
ni obſervatione prudentiorum diſſe
de Induc. Bell. Belgic. *Libens*, inqu
tior iis, qui providam & ſapien
dentiam opinantur eſſe firmiſſi
verſus fraudes & inſidias muni
ſecuritatem contrà patere ad i
quenquam faciliùs opprimi, quàn
hil metuat, ac ſi in alterutram pa

candum ſit, ſatius eſſe, vanis moveri, & omnia tuta timere, quam inani credulitate velut hamo ineſcari.

Interdum negotii propoſiti pondus tantùm eſt, ut Principem quosdam in ſuorum conatuum coadjutores (ſive fœdere amicitiæ, ſive pecunia, ſive aliis bonorum generibus oblatis motos) aliunde ſibi adjungere oporteat. Sed pari prudentia & circumſpectione Principi opus eſt in optione eorum, quos in ſocietatem agendi recipiat; cum ab omnibus æqualem opem, ſive ratione virium in ſe conſideratarum, ſive propter alias circumſtantias, ſibi polliceri non poſſit. Eadem ratione equi, nummi, arma, naves, annona ad alendos milites, aliaque quorum uſus efflagitatur, ſub deliberationem ulteriorem, qua via commodius in huncce finem acquiri posſint, aut quomodo iisdem utendum ſit, ſæpiuscule cadunt.

Non minus de modo conſilium exequendi ſit ſollicitus Princeps: quippe interdum aliquid communi agendi ratione expediri poteſt, interdum vero præſens rerum facies ad felicem propoſiti expeditionem extraordinarium quendam modum, aut utroque mixtum, inſtituere jubet. Id quod præprimis in bello contingit, ubi quæ apertè non poſſunt in effectum dari, ſtratagemate multoties (ceu infra pluribus dicetur) ex animi ſenten-

tia perficiuntur, juxta illud Ovidii
ſtor. 2.

- - - - *Ubi vincere apertè*
Non datur, inſidias, armaque te
parent.

Huc & pertinet, ut bene obſervetur, quo
tu rem gerere magis conducat, an cuncta
ne, an verò impetu quodam: & quæ ſunt
modum actionis definientia.

Præterea quoque objectum, circa q
conſilium exigendum, interdum eſt tale
actionem non facilè recipiat, niſi certo
do diligenti conſultatione inquiſito (ut
xis inter politicos admodum familiaris e
modi copioſè ſuppeditat) in futurum u
præparetur: quemadmodum quoque i
ex ſuprà adducto Philippi Regis Macedo
exemplo jam notum eſt, & in ſequent
amplius docebitur. Item locus aliquoti
conſiderationem trahitur haut exiguam,
ſcilicet negotio gerendo convenientior
Pari ratione & tempus deliberationem
ſtulat, quando videlicet deliberatum exp
tioni ſit dandum. Eſt enim magnæ prud
tiæ pars, quo temporis momento commo
ſinè quid agi poſſit, noviſſe; & præterea
ne attendere, ne occaſionis punctum in
ſum prærerlabatur. Obſervandum ob
tempus hoc loco non nudè conſiderari,
quatenus involvat rerum in eo exiſten

conditionem civilem, certo modo affectam; ſicut de hac temporis ratione infra latè agetur.

Atqui ea de Prudentia Senatoria diſſeruiſſe hac vice ſufficiat. Quoniam autem de Ratione ſtatus, de Prudentia militari, de obſervanda occaſione, item de Electione miniſtrorum, ſunt capita ejus non exigui momenti, & cumprimis Principi obſervatu neceſſaria, itaque de ſingulis proximè, cum diligentia, & quantum fieri poteſt perſpicuè, aliquid proponendum eſt.

CAP. V.
DE
Ratione Status.

DE ratione ſtatus, tanquam primo prudentiæ Senatoriæ quaſi capite, principium nobis hoc loco eſt faciendum. Inter politica enim argumenta haut minimi ponderis eſt; tum propter utilitatem, ubique in regimine eminentem; tum quoque ob neceſſitatem ingentem. Ut Dux Rohanus, inſigni profecto prudentia & pari in agendo circumſpectione celebris, prooemio Libelli, qui titulo Trutinæ Statuum Europæ circumfertur, eam egregia quoque laudatione principibus commendare velle videatur, quando graviter

in hunc modum de illa loquitur: *Pri ſubditis ſuis imperant, ſed ratio ſtatu iam principibus. Quantò autem pr ſubditis ſuis eſt ſublimior, tantò plus i tus ſui rationis præ omnibus aliis ej actionibus ſitum eſt. Poteſt quan princeps circumveniri, poſſunt conſ corrumpi, ſola ratio ſtatus ejusdem quam fallere poteſt, ſed in quantum vel male attenditur, in tantum ejusque incrementum aut derementum centuriatur.* Ex hiſce haut dubiè eſt, quantus ſit rationis ſtatus uſus ad c vandas in eſſe ſuo ſocietates civiles. rùm & prorſus neceſſariam eſſe hanc nam homini politico, nemo præterea i fortaſſean ibit; qui imbecillitatem h nam paulò penitius perpendat. Cu mines ob hanc imperfectionem ita malum proclives, ut etiam præceptis p (quantumvis generatim omnium, & i cie cujusque commodum promoven ſeſe ſubmittere pervicaciter detrectent totum ſtatum perturbare conentur: niſ rum conatus, ſalutem publicam ſubv rationis ſtatus maximis ingenioſè abar tur, inordinatæ animi perturbationes dè enerventur, & ſic incolumitas reipu obtineatur. Ut hinc rationem ſtatus dam ſtatim cum doctrina politica exſ

nullum videatur dubium ; quamvis ab Italis demum ſeparatim tractata & peculiare nomen ſortita ſit.

Quod autem hoc noſtro ſeculo tam variis ſententiarum viciſſitudinibus agitetur ; aliis eximium illius uſum, quem ipſorum opinione in negotiis civilibus conferto magnifacientibus ; aliis eam ut rem mediam amplectentibus ; quamplurimis verò tanquam monſtrum diabolo progenitum ad orcum illam relegantibus ; vel neminem fugit. Cauſa autem, quare tot conviciis hactenus prematur, fortaſſis hæc eſt, quod quivis enormes imperandi modi, etiam ſcelera ipſa circa rerumpublicarum adminiſtrationem commiſſa, ſub hoc pallio excuſari, imo ceu jure facta, defendi ubique videantur. Confer *Forſtner. ad Tacit. Lib. XIII. Annal. cap 41.* Ob hanc ſanè rationem, vel nomen, vulgò imprimis, ac etiam bene multis inter eos, qui literis operam navarunt, ita odioſum apparet, ut velut herbam, ſub qua anguis lateat, devitent.

Verumenimverò non debet obſtare malitia hominum, hac doctrina ad impios ſuos conatus abutentium, quò minus ea eximia ſit, & principibus utiliſſima: cum & ipſam Politicam omnium proborum doctorum asſenſu, atque adeò ipſius naturæ impulſu, bonam, in aberrantibus regiminum formis ad

calliditatem & aſtutiam declinari plan
ſit novum. Nulla enim ratione hoc
imputari poteſt pulcherrimæ diſciplina
ipſi agenti, eam ad improbam intent
aſſequendam flagitioſè applicanti.

Quamobrem impoſterum quoque
tione Status, in bona tamen ſignifica
& ad amuſſim honeſtatis exacta, pro i
modulo & ſecundum inceptam meth
ſtrictim diſſeremus. Atque principio
rit notandum, eam non ſolum variis e
nominibus, ceu notat Hippolytus a
de Ration. Status Imp. Romano-
Prolegom. Sect. 1. aliique: verum
quoad vim ſignificativam a doctoribu
ticis diverſimodè accipi, ſicut Ludovic
lius *de Ration. Status Lib. I.* aliquot
bus oſtendit. Sed miſſis aliorum op
bus non erraverimus fortaſſe, ſi illa
dentiæ vindicemus: unde ab Amm
Tacit. *prudentia regnatiua*, atque a
in Politic. *prudentia mixta* app
Nec adeo ineptè: cum ab operation
nii, civili doctrina imbuti, omnino
dere videatur. Unde & Saavedræ ill
Symbol. XLIII. diſſerit, a vero no
exiſtimo: *Tunc licita eſſe poſſunt,*
diſſimulatio & aſtutia, quando n
fraudem impellunt, neque autoritat
cipis inurunt maculam; quo caſ

vitiis ea numero, ſed prudentiæ eſſe arbitror, aut ad virtutes pertinere, hujus filias, utiles ac neceſſarias ei, qui aliis imperat. Accedit & hoc, quod noſtro tempore a quibusdam ſit certis regulis & maximis comprehenſa, unde adiſci & oblata occaſione in reipublicæ adminiſtratione exerceri poſſit: perinde ut politica; cui etiam ſuppoſita, velut ad eundem ſcopum collimans.

Dehinc ratio ſtatus in hunc (niſi nos opinio vehementer fallit) modum delineari poteſt, quod ſit *prudentia ſenatoria, rempublicam, atqui etiam majeſtatis ſubjectum extraordinariis ac præſertim occultis conſiliis ſive rationibus contra malevolos defendendi & conſervandi.* Loco generis prudentiam ſenatoriam ponere placuit. Nam ſi definitum ad prudentiam politicam referri debet, quemadmodum in hoc ſignificatu revera aliò referendum non eſt, vel legislatoriam reſpicit, vel politicam in ſpecie dictam; & ſi politicam in ſpecie dictam (cum ſub legislatoria nulla ratione contineatur) vel judiciariam, vel ſenatoriam; non autem illam, reliqua ergo eſt hæc, ad quam pertinere omnino ſtatuendum eſt.

Atque hiſce in anteceſſum præmiſſis, ad rem ipſam propius accedendum eſt. Cumprimis verò hic veniant in conſiderantiam ſequentia, quæ nobis ſint quaſi claſſes, in

quas omnia adhuc reliqua diſtril
Videlicet (1.) quid hac ratione ſtat
nere , quidve evitare intendamus (
quos homines ea obſervanda (3.) qua
& denique (4.) quomodo illi, qui r
ſtatus profitentur , debeant eſſe
rati.

Eſt autem ſcopus rationis ſtatus
neralis & remotior ; vel ſpecialis, a
mirum ſubordinatus. Ille cum fine
coincidit, & eſt ſalus publica, ad quar
Politici actiones atque conatus t
hic vero ſpeciatim reſpicit incolun
tum præſentis ſtatus ſive reipublicæ tu
que ipſius imperium tenentis. Sed d
di anſam hoc loco præbet, quod quid
liticorũ cauſæ finali in ſpecie addenda
dationem civilis ſocietatis prætendar
præterea etiam amplificationem , ſive
tis incrementum. Fatendum quid
generaliter loquendo rationem ſtatu
doque conferre multum ad id, ut an
tur reſpublica : nec non ſuppeditar
dum arcana conſilia ſatis efficacia ad
animo conceptum introducendum & f
dum ; ſicut plurimis feliciter ſucceſ
omne imperium reconditis artibus in
rivare conati ſunt. Verum ſtrictius re
pendendo, videtur ratio ſtatus primari
tum reſpicere conſervationem : ſec

verò & quaſi per accidens amplificationem; illam tamen magis quam hanc. Nam poſita ratione ſtatus, ponere & ſtatum jam exiſtentem oportet, cujus diuturnitatem illa intendit: neque ab alio præterea, niſi qui re ipſa imperat exerceri poteſt.

Quod artinet homines, circa quos ratio ſtatus ſuam vim exerit, ſunt illi omnes, partim in republica, partim verò extra eam. In republica huc referendi omnes malevoli, ſive actu, ſive qui tales futuri metuuntur. Exſurgit autem illa malevolentia in animis eorum varias ob cauſas: quales præſertim ſunt; invidia,qua ſubditi imperanti majeſtatẽ invident,& fortè alteri eam optant; item deſiderium occupandi principatum; & odium ab injuria, variis rationibus contracta,contemptu, vel aliunde derivatum. Ex hiſce deſiderium, quo ambitioſi imperium affectant, haut minorem vehementiam prodit, quam odium: tantoq; major metus ab utroque meritò concipitur, quantò vel imperandi eminentia & dignitas communi ferme judicio gratius atque jucundius bonum habetur, vel acerbitatis cauſæ exiſtunt intenſiores. Sunt enim hi duo affectus interdum vehementiſſimi: ſed ut alter tollendo e medio impedimentum, quod bono conſequendo hactenus obſtat, magna cum cupiditate illud appetit; ita hic ut plu-

plurimum ſola deſtructione præſentis
nis contentus.

Tantum autem majeſtas civilis j
bonum, omnium ferme ſententia, q
lum ipsâ majus appareat; & hinc ſi
dum unquam jus ſit, regnandi tantu
gratia violandum eſſe Euripidi videa
dem de cauſa quoque Iceta Dyony
liæ adverſatus eſt; videlicet non odi
nidis, ſed cupiditate imperium habe
Curtius circa Beſſum & Nabatzane
infideles duces bellicos, commemora
olim agitatum ſcelus de prodendo
dendo ſuo Domino exequi ſtatuiſſ
cupiditate ſolummodo accenſos
Cap. 10. Quare Tacitus veriſſimè
Lib. XV. Annal. Cap. 53. cupidinem
nandi cunctis affectibus eſſe flagra
Ut quandoque nec reverentia parent
bita, nec amor fraternus (affectus ne
ne ſanguinis cæteroquin inviolabil
impetum retardare valeant: ceu hoc
indicant ſanguinolentæ hiſtoriæ a
Camerario *Hor. Succiſiv. Cent. 1.*
eum in finem copiosè congeſtæ, aliæ
rimæ, quæ omni ævo evenerunt, h
ſatis ſuperque atteſtantur.

Quandoque etiam tædium, quod
tium fortuna offert, atque ſpes ex fu
lioris imagine petita, & novitatis ſtu
cta, cives ad ejusmodi ſenſibiliter con

interdum & mera malitia ſub libertatis ſpecie incedens. De hoc hominum genere dicitur apud Tacitum Lib. XI. Annal. cap. 17. *Falſo libertatis vocabulum obtendi ab iis, qui privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habeant.* Obſervanda quoque hîc loci ſunt ea, quæ Ludov. Septalius *de Rat. Stat. Lib. II. cap. 8.* bene animadvertit: *Scimus permultos*, inquit, *vel quod rerum præſentium ſaturi ſunt, vel ob animi inconſtantiam, vel quod res ipſorum non ſunt in eo loco, quem illis optant, vel quod majora meruiſſe prætendunt, aliud non agitare animo, quàm mutationem ſtatus; ſperantes ſe illa ſortem meliorem obtenturos eſſe.* Hæc autem vero eſſe omnino conſentanea, ſufficiens teſtis eſt experientia, ex quotidianis hominum actionibus & propoſitis comprehenſa.

Extra rempublicam noſtræ rationi ſtatus tanquam objectum ſuppoſiti ſunt vicini, vel illi omnes, cum quibus nobis, quacunque etiam ratione, commercium intercedit. Principis autem maximopere intereſt, & circa hos regulas ſtatus accuratiſſimè obſervare; quò benevoli hactenus, & nobis utiles in ſtabili amicitia contineantur; malevoli verò, ſive illi, qui perpetuam nobiſcum invidiam alunt, noſtrumque commodum ſummo ſtudio impedire meditantur, vel prorſus deſtruantur,

vel ſaltem enerventur, ne nobis p
cere poſſint. In quas claſſes ſint d
& quæ præterea circa ipſos monen
omnibus infra plenius agetur : ut
lector illinc ea petere queat.

Progrediendum ergo nobis eſt
noſtri diſcurſus membrum, nimirui
rationi ſtatus convenientem. H
duo præſertim notare oportet : 1. I
verſalem 2. Species, in quas ratio ſt
randa. Idea univerſalis, ad quam
mnino maximæ ſtatus (ceu vulgò
tur) componi & exigi debent, m
dentiæ cauſa triplici modo hic co
quatenus vel moralis, vel civilis,
cialis. Ad moralem refero in gen
ſtatem, & ſpeciatim juſtitiam. Ho
tantam meretur conſiderationem
cauſa planè nullum Statiſtæ conſilium
nem promoveri permittendum ſit,
honeſtum, vel ſaltem honeſtati n
ſum. Quamobrem procul abſit om
tia & calliditas turpis ; ut qua can
turpiter contaminatur.

Atque hinc quoque omnia ad
in jure divino, naturæ gentiumque f
& particulatim fidem, tanquam eju
nam ſobolem, ſedulò examinentu
nulla ratione, adeoque nec ratione ſ
violenda: ſive in republica inter imp

& ipſius ſubditos, ſive extra eam cum vicinis mediante fœdere contracta. Machiavellus quidem ſuo Principi autor eſt (*Cap. 18.*) ut nulli datam fidem ſervet, quotiescunque utilitas ipſius id exegerit; & hujus aſſertionis infinita, eaque partim recentia exempla, atque inter illa Cæſ. Borgiæ, famoſi illius ducis Valentini, quibus principum perfidia promiſſa & conventa irrita ſint reddita, exſtare putat: ut ex ipſius ſententia cuivis fidem, jurejurando etiam firmatam, vel contra pietatem violare ſit integrum. Verum, ut ſilentio prætercam, & Deum & homines ejusmodi fidei temeratorem abominari; qua miſeria quidem nihil miſerius ipſi contingere poteſt: at hoc ſaltem notandum hic eſſe duco, quatenus ad forum politicum pertinet, ſcilicet nec ſtabilem rerum civilium ſtatum, nec felicem unquam ſucceſſum, inde ſperari poſſe, ſed funeſtum perſæpe exitum. Nam *ſi princeps non in remedium reipublicæ, ſed quaſi ſolito alimento aſtutis conſiliis paſcatur, & delectetur, haut dubiè credat, non ab alio quam ſe ipſo architecto ſui ruinam delineari*: dicit de Meneſes in Summ. Polit. tit. 1. cap. 4. Etenim ſublata ex mentibus hominum opinione de ipſius pietate, candore & fide, tollitur omnis autoritas, ſequitur contemptus, & hunc imperii atque obſequii nexus diſſolutio, oriuntur conjuratio-

nes

nes in republica, & extra eam confœderationes: hæc omnia in principalis eminentiæ, alias ſanctæ, venerandæ, adeoque inviolabilis, perniciem.

Ut omnia rationis ſtatus conſilia juxta ideam moralem, quæ eſt honeſtas, dirigantur, ad totum genus humanum eſt referendum: Sed ut eadem præterea ad civilem ideam ſive utilitatem reipublicæ ſtrictè exigantur, unica ſocietas civium requirit. Neque enim illa norma civilis hoc loco deeſſe debet, cum in ea cauſa finalis politicæ, cui noſtra ratio ſtatus eſt ſubordinata, cum primis ponatur; finis verò, etiam univerſalior, & aliquantò remotior, mediis det formam & menſuram. Quantò autem magis ad commodū civile obtinendum, vel conſervandum, illa conſilia ſtatus ſunt accommodata, tantò majorem prudentiæ laudem promerentur. Huic enim fini tota hæc doctrina eſt inventa, & usque exculta, ut ſtatuum politicorum conſervationi utilis exiſtat.

Reſtat idea, quam artificialem hoc caſu appellare placuit. Hæc in ſimulatione & diſſimulatione potiſſimum conſiſtere videtur: ut hinc rationis ſtatus regulæ & agendi modi quoque arcanorum imperii vel reconditarum artium & fraudum nomine (communi loquendi more) exprimantur. Unde & illud uſu tritiſſimum: *Qui neſcit diſſimulare,* ne-

Digitized by Google

neſcit regnare. In quo totam regnandi ſcientiam ſummatim comprehendi, etiam autumat Saavedra *in Idea Princ. Chriſtiano-polit. Symb. XLIII.* Confer omnino quoque huc quæ Boxhornius diſſerit *ad Emblem. polit. XVII.* Ea verò ita ſit comparata, ut & facilius in ſenſus hominum incurrat, & externam faciem, ipſis gratam, atque opinionem certo modo afficientem offerat: etiam honeſtate & utilitate conſilii actionisve latentibus eos cum quibus negotium intercedit. Nam ſæpiſſimè evenit, ut rei propoſitæ bonitas moralis, vel etiam civilis, civibus evidenter non appareant : & nec res propterea illis grata, cum ob vel enormes animi paſſiones, vel intellectus debilitatem & ruditatem non capiant illius præſtantiam, atque hinc nullo ejus deſiderio teneantur; ſed niſi quodam modo eò adigantur, illam prorſus rejiciant. Imò quandoque apud inſanam plebem etiam *Verba* (ſecundum ſententiam Cerialis apud Tacitum Lib. IV. Hiſtoriar. cap. 73.) *plurimum Valent, bonaque ac mala non ſua natura ſed Vocibus ſeditioſorum æſtimantur*: Quare interdum ſimulatione quadam permiſſa, & diſſimulatione, quod & violenta media non ſemper ſint commoda, imò ſæpe periculoſa, vel etiam effectu impoſſibilia, neceſſariò eſt utendum: quo hac ratione ingrata & moleſta in negotio tegantur, & homi-

nis

nis opinio ſpecie ejus, quod ipſi acceptum futurum ſcimus, inficiatur. Atqui eam agendi rationem politici Doctores, ut Lipſius, Clapmarius & alii, facile admittunt: adeò ut Conringius expreſsè fateatur, ſine ejusmodi mediis nullam rempublicam ſalvam ac tutam conſervari poſſe; *Lib. de Civil. prudent. Cap. 2.*

Ea tamen cautela fortè Principi hic ſedulo obſervanda: ne arcana illa ſint nimis affectata, & propterea ſuſpicionibus populi expoſita; ſed ut parcius exhibeantur. Ex nimio enim ſtudio, quod ad ea paranda impenditur, ſæpiuscule ſentiuntur: ceu quoque contigit Tiberio, Germanici mortem ultra modum deploranti, & hac immodica doloris ſignificatione animum ſuum invitè prodenti. Meminerit potius Princeps, tamdiu hæc valere, quamdiu celantur: ſimul ac verò illis, in quos exercenda ſunt, manifeſta redduntur, vim ac uſum illorum eo ſtatim momento ceſſare; adeò, ut & opinio Principem, etiam quando exercitium intermittitur, de hiſce tamen ſemper ſuſpectum teneat. Idque cum ipſius magno detrimento: nam *quo quis verſutior* (inquit Cicero) *& calliator, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis.* Quamobrem variis formis & coloribus involvenda ſunt; ad exemplum quodammodo callidorum aſſentatorum, ſuas

res

res vafre admodum adumbrantium, & ad naturam, ingenium, ac animi paſſiones ſui Domini egregiè inclinantium.

Rationis ſtatus ideæ univerſali, juxta quam Statiſtæ conſilia probè efformanda putamus, ſic conſtituta, ad ſpecies ejusdem accedimus. Intuitu perſonarum autem, circa quas exercetur, commode (niſi fallor) illa diſpeſcitur in *Internam* & *Externam*. Cum & pericula, quæ Princeps metuit, quæque hoc modo a ſuo principatu avertere ſtudet, partim ab internis dependeant cauſis, partim verò externis; Vid. Septalius *de Rat. Stat. Lib. I. cap. 9. & Lib. II. cap.* 1. Rationem Status internam voco, quæ intra reipublicæ terminos uſum ſuum præbet, atque civium maleſanorum inſidioſos conatus ab imperio, vel imperium habente, prudenter reclinat: externam verò quæ extra reipublicæ meæ terminos, in negotiis ſcilicet cum vicinis, locum habet.

Ad internam hæc quatuor præſertim genera obſervantur: 1. Arcana imperii 2. Arcana dominationis 3. Simulacra imperii 4. Arcana conſiliorum. Arcana imperii ad ſtatum reipublicæ præſentem tuendum atque conſervandum ſpectant: & ſpeciatim imperii fulcra, quibus innixa reſpublica conſiſtit; qualia ſunt præcipuè; Religio, Juſtitia, Regimen, Militia, & Ærarium. Circa hæc o-

omnia Princeps ita verſetur; partim, ut ea contra malevolorum inſultus generoſè defendat; partim ne ipſe quid committat, vel negligat, quod in eorum detrimentum ullatenus vergere poſſit. Nam hoc poſteriori modo malevolentiam, etiam nondum irritatam, apud ſuos cives facile movebit.

Inter hæc potiſſimum Religio maximæ eſt conſiderationis. Eſt enim res omnium ſenſibiliſſima ut plurimum mortalibus æſtimata: ut etiam religionem afficere, vel turbare, quæ educatione & longo tempore altas in mentibus radices egerit, maxima communi aſſenſu injuria reputetur; imò omnium fortunæ bonorum & ipſius vitæ periculo vel damno major. Nam ingentes propterea motus, in civilibus mortalium ſocietatibus agitatos & periculoſiſſimas defectiones exſtitiſſe exempla plurima evincunt. Hinc & provinciæ unitæ Belgarum jugum Hiſpanicum excutiendi conſilium ardenti animo arripuere, & demum ex deſperatione, ob intolerabilem illam inquiſitionem maximè accenſa, ſibi auream hanc libertatem comparavere. Quem ſucceſſum Bohœmicæ perſecutiones, magna violentia inſtitutæ, & majori usque continuatæ, tandem ſortitæ ſint, cuivis patet; videſis de iis Autorem de Bohœmicis Perſecution. aliosque. Nec minus defectio Coſaccorum à corona Poloniæ, ante aliquot annos ob religio-

ligionem impeditam cumprimis etiam facta, memorabilem tragœdiam nobis reliquit: ceu ex Hiſtoria ejus notum. Ut Principis mei, aſſuetum cultū divinum vel intactum permittere, vel neceſſitate aliud exigente remiſſius & obliquis conſiliis tractare, omnino interſit.

Juſtitia quoque a Principe hic eſt attendenda; ſive univerſalis, ſive particularis. Illa comprehendat omnes virtutes, legum beneficio in rempublicam introducendas: hæc verò juſtitiam particularem commutativam ſcilicet, & diſtributivam. Singulæ ſpecies peculiari cura in pleno vigore conſerventur. Vilipendium enim & deſtructionem legum ſequitur diſſolutio morum, & hinc vinculi, quod imperium & obſequium elegentiſſima harmonia conjungit, inopinata ſæpe abruptio. Siquidem reſpublica ſine legibus vigoroſis inſtar corporis humani eſt ratione remota; vel inſtar navis in omnes partes mobilis, quæ gubernaculo caret.

Sic & regimen ipſum omnibus modis eſt cuſtodiendum, ne data opera incuriave, in ſtatu ipſo aut adminiſtratione etiam, cui cives jam ſunt aſſueti, mutatio quædam, bono publico nociva, obtingat. Et leges fundamentales, civilem ſtatum determinantes, inviolabiles ſunt ſervandæ; & adminiſtratio ad ſalutem publicam dirigenda: ut neque hinc,

neque illinc reipublicæ malum accumuletur. Nam variarum mutationum, etiam vix ſenſibilium, periculo politicæ ſocietates ſunt obnoxiæ: quandoquidem in perpetuo ſunt motu inſtar fluminis, vel aquæ currentis. Et adminiſtratione negotiorum publicorum, cumprimis ad bonum privatum magis quam commune diſpoſita, Princeps apud populum in ſiniſtram opinionem facillimè incurrit; ſuo & totius principatus maximo ſæpe detrimento.

Præterea & ratio exacta habenda eſt militiæ; ut & ærarii; cum in hiſce citra omne dubium rerum gerendarum nervus conſiſtat. Absque viris enim ſtrenuis, & pecunia ad ſuſtinendos ſumptus, neque mala imminentia abarceri, nec quicquam in utilitatem publicam effici poteſt. *Nam neque quies gentium ſine armis; neque arma ſine ſtipendiis; neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt:* dicitur apud Tacitum *Lib. IV. Hiſtor. cap. 74.* Quanta autem prudentiâ indigeat militæ juſta conſtitutio, abundè colligere eſt ex capite ſequenti. Atque haut minori cura opus ad id, ut ærarium rectè ſeſe habeat, & neceſſitati publicæ ſufficiat. Eo enim deficiente negotia civilia elangueſcunt; imò reſpublica, neque tuta eſſe poteſt, neque diuturna. Ad illud vero conſervandum, vel etiam augendum, interdum varia adhiben-

bentur conſilia, ex hac rationis ſtatus doctrina petita. Confer huc, quæ prudenter circa idem argumentum diſſerit Saavedra *Symbol. LXIX.*

Denique cum res nummaria tanquam appendix quædam ærario adhærere videatur, hic obiter ſaltem notandum, illam maximopere quoque ad cautam & prudentem Principis directionem pertinere. Quippe res nummaria, ſive imprudentiâ gubernantium, ſive etiam avaratia eorundem, male conſtituta & corrupta aliquoties magnæ conſiderationis motus in civili ſtatu concitavit. Oppidò enim hac ratione affliguntur, tum mercatores, tum plebei, vel etiam cuncti; ut hinc non poſſint non acerbitate animum oppleviſſe, ob damnum quotidie perceptum.

Verum non tantum imperium ab omni periculo & violentia malevolorum incolarum eſt præſervandum rationis ſtatus conſiliis, ceu jam jam oſtenſum: Sed quoque ipſe imperans hoc modo ſit ſalvus & incolumis, oportet. Hinc nobis de arcanis dominationis impræſentiarum eſt diſſerendum; ut quibus ſacra perſona ipſius Principis munitur. Atque duo cumprimis hic in mentem ſunt advocanda: (1.) ea, quæ defenſionem requirunt (2.) perſonæ metuendæ.

Arcana dominationis autem non tueantur ſolummodo Principis corpus vitamque, verum & omnia, quæ ut in ipſo quà tali ſarta

atqui tecta ſint, ad ſtatus ejus incolumitatem omnino pertinere exiſtimamus. Inter illa verò haut exigui ponderis eſt autoritas; apud omnes, præſertim tamen eos, quorum inſolentiam imperium habens metuit, neceſſaria. Quæ etiam videtur cauſa, cur Tiberius Româ longiſſimè ſecedere decrevit, memor fortaſſeàn illius, quod Poeta dicit; *Minuit præſentia famam*: ut ſcilicet hac ratione autoritatem, ſive gravem de ſe opinionem, apud populum conſervaret, imò & augeret; idque profunda circumſpectione, & in futurum tantummodo uſum, cum vivo adhuc Auguſto imperatoriam dignitatem nonniſi ſpe foveret. Atque cum tandem abſentia ipſius (poteſtate redeundi Romam denegata quamvis eam deſideranti) ſpeciem exilii in animis Romanorum eſſet nacta, ut hinc exul communiter quoque appellaretur Tiberius, interceſſione matris eſt conſecutus, ut ad velandam ignominiam quaſi legatus ab Auguſto abeſſet. Ita quavis occaſione virtutum maximus fuit ſimulator, ſicut vitiorum diſſimulator non minor; in hunc unicè finem, ut exiſtimationem, ſuæ intentioni commodam, ſervaret illæſam.

Deinceps & circa Principem non perfunctoriè conſiderare titulum ſive jus, quo is majeſtatem poſſideat, arcana dominationis jubent. Hinc Tiberius magna calliditate agitatus,

da-

nabat & fama (ceu Tacitus de ipſo teſtatur Lib.I. Annal. cap.7.) *ut vocatus electusque potius a republica videretur, quàm per uxorium ambitum & ſenili adoptione irrepſiſſe.* Atqui Henricus VII. Rex Angliæ circa initium ſui imperii pro ea, qua inclareſcebat, prudentia, admodum ancipiti cura & ſollicita mentis deliberatione diu quæſtionem apud ſe agitabat, quo titulo regnum occuparet; num jure hereditario; an verò belli ob prælio devictum & occiſum Richardum III. & ſi illo, an nomine proprio, an vero Reginæ ſuturæ. Ubique enim apparebant impedimenta, propoſito ipſius obfutura: ut tandem jure hereditario ſibi adhærente, tanquam principali titulo, niti decreverit, reliquis duobus velut adminiculis uſurpatis. *Vid. Verulam. de rebus geſt. illius.* Conſideravit enim prudentiſſimus Rex, jus ad regnum legitimum demum eſſe verum obedientiæ ſubditorum vinculum. Nam perquam multum in eo eſt ſitum, ſcilicet utrum titulus, quo majeſtas eſt obtenta, vel populi judicio, ſit juſtus, an verò injuſtus. Injuſtitia quippe tituli oppidò etiam animos accendere & movere ſolet, ut ejusmodi imperantes, niſi ſuæ acquiſitioni aliquem ad minimum juſtitiæ colorem quæſiverint, ejicere & imperii jugum excutere ſubditi interdum non vereantur. Quam ob cauſam etiam Luſitani unanimi conſenſu ab

Hiſpanis deſcivere, aliquo ex Ducibus familiæ Bragantinæ ad ſolium regium revocato.

Accedit & benevolentia populi, ut quæ haut modicum eſt principalis eminentiæ firmamentum. Quapropter ante omnia Principi evitandum eſt odium, quod ingrata negotiorum civilium functione ſive per ſe ipſum, ſive per miniſtros ſuos, apud cives ſuſcitare poſſit. Id quod autem facillimè contingit, quoties jura majeſtatis oſcitanter adminiſtrantur, vel ejusmodi miniſtris in partibus adminiſtranda committuntur, quos ſubditi contemptui & odio habent. Qualis deſcribitur Viſirius quidam apud Gaſp. Ens inter res Perſicas: qui ſummo odio a tota aula omnibusque urbium ſubjectarum podulis fuit habitus; cum quod ex viliſſimo genere oriundus eſſet, & ab omnibus ea dignitate, ad quam blanditiis & aſſentationibus & quodam in publicis providentiæ genere perveniſſet, indignus judicaretur; tum etiam, quod nova gravamina novasque impoſitiones Regi Perſarum nunquam non ſuggeſſiſſet: *Theſaur. Pol. Part. III. Apotel. LXV.* Nam *miniſtrum virtute præditum* (eleganter notat Saavedra Symbol. Pol. LII.) *populus in veneratione habet, ſibique perſuadet, nihil non rectè ab eo agi poſſe; Contra nullam miniſtri alicujus mali actionem in meliorem partem accipit aut approbat. Optimum*

con-

conſilium in Senatu Spartano Demoſthenes dederat; Sed quia paſſim homo flagitioſus audiebat, acceptatum non fuit, ſed alium aliquem ex Ephororum ordine idem illud conſilium dare oportuit, ut admitterent, & executioni darent. Niſi ergo Princeps hiſce caſibus providus ſit, facilè gravem civiũ indignationẽ in ſe contrahit: citra culpam fortaſſis ſuam, præterquam, quòd ipſis inviſum vicariũ præfecerit. Longiſſimè autem abſit, ut majeſtatis ſuæ poteſtate de induſtria abutatur, & vel ipſe ſæviat, vel ſævientibus miniſtris vires præbent: ceu feciſſe Tiberium Tacitus notat *Lib. IV. Annal. cap.* 1. In eandem prudentiam graviter impegiſſe Henricum VII. Angliæ Regem, quando Empſonum & Dudleum (quos incolæ pro ſanguiſugis & expilatoribus habuere) cum magno exiſtimationis ſuæ detrimento ſibi in miniſtros adſcivit, bene obſervat Verulamius in Regno hujus Henrici.

Ad perſonas metuendas referre, uſu illud exigente, oportet, tum conſanguinitate cum Principe junctos; tum miniſtros; tum quoque alios in republica: circa quos omnes rationis ſtatus maximas obſervari paſſim videmus. Conſanguinei diverſimodè in hac conſideratione tractantur: Crudelius apud barbaros & inhumanius; mitius verò apud moratiores populos. In imperio Turcico

viget mos admodum truculentus & abominabilis, ſecundum quem primogenitus in locum demortui patris ſuccedit, atqui omnes, quos ſuperſtites deprehendit, fratres occidi curat; ut hac ratione ſe tutum præſtet, maximique illius imperii diſſolutionem (ſua opinione) antevertat. Alibi alios modos habent in uſu. Antonius Caracalla quoque ſatis barbarè & crudeliter propterea fratrem Getam in gremio matris interfecit: quamvis quorundam conſilio ad mitigandam invidiam parricidii interfectum poſtmodum inter Deos retulerit, hiſce verbis additis; *ſit divus, modus non vivus.* Sic & Tiberius Germanici mortem inter proſpera ducebat: aliaque facinora crudelia hanc ob cauſam curabat. Nec minora fuere ea, quæ Richardus III. regnum Angliæ ſibi ſtabilire conatus eſt. Circa moratiores gentes paſſim varias rationes in ſecuritatem principum contra conſanguineos, partim prudenter, partim etiam callidè excogitatas, colligere licet ex quotidianis magnatum conſiliis & rebus paſſim geſtis, memoriæque mandatis. Ut & hoc caſu, ceu ex jam dictis apparet, ratio ſtatus ab iniquis Statiſtis crebrò injuriam patiatur.

Veniunt & metuendi interdum miniſtri primarii, præſertim qui potentes ſunt, & præterea ob perverſitatem animi famoſi. Meritò enim

enim in ſuſpicionem cadit nimia talium potentia; maximè ſi aliquo temporis ſpatio jam ſit radicata. Atque officia ad exiguum quandoque tempus ſolent concedi, quo finito nova illis ſubjecta ſubſtituuntur. Unde & in republica Romana olim, & hodienum in quamplurimis regiminibus officia ſaltem quædam majoris momenti certo temporis ſpatio incluſa, & eo elapſo ad alios transferuntur. Quamobrem ſeorum Vicariorum actionibus & propoſitis haut negligenter attendere Principis eſt prudentis. Tametſi multos egregios viros (ut hoc obiter etiam notemus) invidia imperantium maximè aberrantium, inique fuiſſe preſſos, ut Beliſariũ, item apud Turcas Acomath Baſſam, Baſſam Muſtapham, & plurimos alios; experientia jam ſatis eſt compertum. Ut hinc Salluſtio communis obſervatio nata ſit: *Regibus boni, quam mali, ſuſpectiores ſunt, ſemperque his aliena virtus formidoloſa eſt.* Cui adjungenda ea, quæ Xenophon ſub perſona Hieronis diſſerit: *Sed & aliam,* inquit, *tyrannorum calamitatem tibi dicam, Simonides. Noverunt non minus quam privati, bonos, ſapientes, & juſtos viros: hos cum diligere debeant, metuunt: fortes quidem, ne quid audeant libertatis amore; ſapientes, ne quid machinentur; juſtos verò, ne multitudo cupiat ab illis gubernari.* In Hierone ſive Tyrannico.

Denique metuuntur in civitate illi, qui odio flagrant in Principem; ſive ſint omnes cives, ſive potentia eminentiores. Solent etiam in mixtis rebuspublicis rationis ſtatus maximæ inter imperantium civium claſſes invicem accurate obſervari: ut vel inde civilis forma de puncto ad punctũ ſemper videatur mobilis. Peſſimè autem ante ſexdecim jam ſecula fuit tentatum ejusmodi arcanum ab Herode, ſicut primo, ita infenſiſſimo Salvatoris noſtri, quem ne imperium ipſius occuparet, vanè metuebat, hoſte: tot infantum omnis culpæ expertium, ſæviſſima occaſione famoſiſſimo. Videatur *Evangel. Matth. cap. 2.*

Jam ordo nos ducit ad imperii ſimulacra. Hæc in eo videntur conſiſtere, ut animus plebeus imaginatione teneatur, quaſi poſſideat majeſtatis civilis partem, ſive libertatem politicam, quam vel antè habuit, ſed male, ac ſummo reipublicæ detrimento, exercuit; vel habere ſaltem ſtultè affectat. At qui illa propterea impendit, ut civibus libertatem injuſtè extorqueat, ſibique ſubmittat, ille in Ideam univerſalem rationis ſtatus graviter impingit. Nam perinde, ut cæteræ ſpecies, ita quidem *vacant quoque culpa ſimulacra imperii,* (ex ſententia Conr. Lib. de Civ. Prudent. cap. 2.) *modo utatur iis politicus ad continendum populum in illo officio; in quo optimo*

mo jure debebat contineri. Neque verò his ipſis populo aliqua fit injuria ; quum in emolumentum ejus cedant : eoque, ſi ſapit, malit utique ſic decipi, quàm perire non deceptus, imò amabit deceptorem : perinde ut Medici decipulis ægrotus recuperata valetudine ſolet gaudere. Ut hac ratione Princeps ſpecie quadam quaſi obſequii imperium tenere videretur atque rempublicam moderetur.

Plurimos autem modos, quibus popularis animus ita in ſuum ipſius commodum detinetur, & ſaginatur, hiſtoriæ ac quotidiana praxis depromere queunt : quorum alii magis ſunt principales ; alii præparatorii magis, & non tam conſervationi quam acquiſitioni inventæ. Etenim ſolent interdum noſtri Statiſtæ in eo toti eſſe, ut animos civium præparent, & hac ratione, vel tutius novum ſtatum occupare, vel ſibi tantò magis ſtabile fundamentum ponere poſſint. Sic enim animus affectus & contentus, etiam duriora & ſibi aliàs moleſta, facilius ſuſtinet. Nam favor omnia in meliorem partem vertit, nec animus tam facili negotio incommodum futurum præſentiſcit ; quin benevolentia & convenienti opinione imbubutus, præſertim plebeus, ſe promptius ſubmittat. Ceu hoc quoque expeditum eſt ex illis Ciceronis Lib. II. Officior. *Subjiciunt ſe homines imperio alterius poteſtati pluribus de cauſis ; du-*

cuntur enim, aut beneVolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe id ſibi utile futurum, aut metu, ne Vi parere cogantur, aut ſpe largitionis promiſſioniſque capti: aut poſtremò, ut ſæpe in noſtra republica Vidimus, mercede conducti. Quamobrem etiam Imper. Auguſtus *militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit*; Ceu teſtatur Tacitus *Lib. I. Annal. cap. 2.* Nec Tiberius (ut vaſrum iſtum Statiſtam iterum producamus) hac occaſione ſuæ calliditati defuit, quando, nunc adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua eſſet imperium; nunc præcantem Senatum, & procumbentem ſibi ad genua, ambiguis reſponſis & callida cunctatione ſuſpendens; atque tandem quaſi coactus, & querens, miſeram & oneroſam injungi ſibi ſervitutem, recipit imperium; nec tamen aliter, quam ut depoſiturum ſe quandoque ſpem faceret. *V. Sueton. in Vit. ejus.* Verum omnes hæ excuſationes plus dignitatis quàm fidei habuere, & a Tiberio ſaltem in id prætenſæ, ut, inter ſpem metumque adhuc hærens, voluntatem populi obſideret, & immenſa cupiditate imperandi diſſimulata, ſine majori labore & periculo, quod undicunque imminebat, tandem majeſtatem reipublicæ Romanæ ex animi ſententia ſubiret. Quippe benevolentiam, & cumprimis bonam opinio-

nionem de modeſtia (quam maximè præ ſe ſerebat, ut ſuæ intentioni hoc caſu utilem) impensè venabatur.

Cæterum in rebus non ſolum, verum & eorum nominibus hanc rationis ſtatus ſpeciem exerceri, uſus nos docet. Res, in quibus imperii ſimulacra hærent, ſunt exigui ponderis: quò recenſeantur magnifici tituli, dignitates, item officia honorifica, ſed detracta omni poteſtate, omni ferme autoritate, & ſæpe etiam utilitate. Interdum præterea ſunt odioſæ commiſſiones, præter invidiam civium & ſimultatem, non adeò multum commodi referentes: ut quando alicui expedienda injunguntur, quæ ſubditis apparent difficilia, vel alia de cauſa ingrata.

Prorſus inania & inſtar meræ umbræ ſunt nomina: ſive ex priori ſtatu repetita, & asſumpta; ſive ad populi judicium & gratiam inventa; rebusque civilibus applicata. *Libertas & ſpecioſa nomina prætexuntur* (dicitur apud Tacitum Lib. IV. Hiſtoriar. Cap. 73.) *nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem ſibi concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet.* At verò hoc medio extraordinario, quod meretur obſervationem, haut opus, niſi ſi mutatio reipublicæ invito populo acciderit. Etenim ejectis regibus ex imperio Romano nomen regium oppidò erat inviſum toti populo, ut nec abs-

que

que moleſta acerbitate illud audiretur. E-contrà, circa initium præſertim Imperatorum Romanorum, eadem aſſervabantur magiſtratuum vocabula; imperandi poteſtate principibus vindicata. Hinc Auguſtus ad leges ferendas a Senatu invitatus ita ſe excuſavit: leges ferendi exercitium ad totum populum pertinere, ſe tantummodo Conſtitutiones, quas vocabant, [Principum (cou ex jure Romano conſtat) facere poſſe. Sed revera illam poteſtatem faciendi conſtitutiones in locum ferendarum legum occultè transmovere ſtudebat; imaginaria majeſtate populum deludens. Eadem ratione Tiberius vim principatus ſibi firmabat imaginem antiquitatis Senatui præbens. Atqui Cromvvellius (ut hoc exemplum ex hiſtoria noſtri temporis adjiciam) haut alio conſilio a nomine regio abſtinebat, prædicato Protectoris Angliæ uſurpato, admodum ſpecioſo, & quod gratum cuique ſua ſpecie apparere poſſet; quanquam potentiá Regibus ibidem conceſſá, longè majorem in populum Anglicanum re ipſa exercebat.

Reſtant arcana conſiliorum. Hæc autem eò potiſſimùm reſpicere videntur, ut autoritas conſiliorum & mandatorum Principis contra pervicaciam populi defendatur: perinde ut imperii arcana ſtatus, & dominationis arcana ipſius imperantis incolumitatem proximè

ximè intendunt. Nam magni impetus (ut ſiniſtra judicia, contemptus, debitæ ſubmiſſionis ſive obedientiæ denegatio, & ſi quæ ſunt alia) ab inſulſa & immorigera plebe imminentes, ſæpe metuuntur. Apparent enim conſilia Principis populo interdum ingrata & moleſta, quamvis ad utilitatem communem recta tendant: quæ ergo certa ratione dulcorantur a Statiſtis, ut cives ad ea ſine tædio tolerandа, vel executioni danda lubẽtiores & promptiores efficiãtur. *Politicus multa ſic tractare debet, ut nemo animadvertat: unde & facere, & dicere multa in vulgus cogitur, per qua, contrariam mentem pra ſe ferens, molitionem ſuam occultet:* ceu Creſcentius inter ſelecta politica ex Polyb. refert. Faciunt præterea huc, quæ Saavedra eleganter circa hoc argumentum obſervavit. *Non ſecuros,* inquit, *ſe arbitrentur Principes, ſi in ſecreto rei bene prudenterque geſta conſcii ſibi ſint; quoties enim plebs ipſa actiones eorundem non omnino aſſequitur, diſcutere eas curioſè incipit, & in deteriorem ſemper partem interpretatur: quare non ſufficit, quod ipſi perperam non agant, ſed opus eſt etiam, ut ne media, quibus utuntur, ſpeciem mali habeant:* Symbol. XIII.

Cumprimis ingrata populo ſunt onera extraordinaria, ut contributiones. Hinc interdum etiam nomen, fateor, aliquid facit ad illud,

illud, ut onus imponendum ſubditis acceptum accidat, vel minus. Quidam magnam ſibi ingenii gloriam acquiſiviſſe putant, ſi ſpecioſum tantummodo nomen tributorum generibus invenire valeant: ſolo vocabulo contenti, ipſius rei rectitudinem proh dolor! parum vel nihil curantes. Nonnunquam tamen admodum groſſa eſt ejusmodi Statiſtarum philoſophia, ut omnes etiam ſucum facili negotio olfaciant. Finis talium onerum ſit ex utilitate publica neceſſarius, ſit honeſtus; non autem ad imperantium avaritiam ſedandam. Nam ſi deſiderium Principis ſaltem eò ſe extendit, ut ſubditos pecunia emungat, nec eam in commodum univerſale impendendam, ſed ſuæ utilitati, vel voluptati exercendæ, deſtinet, contra regulas morales graviter peccat. Quoties verò hujusmodi onerum intentio pro ſalute reipublicæ, adeoque honeſta eſt, toties rectè illa media extraordinaria, ubi opus, adhibentur. Atque tunc ingentem efficaciam apud populum habet finis conſideratio. Nam ſi is civibus commendetur ab inſigni utilitate, vel neceſſitate, præſertim honeſtate & pietate, haut difficiles hi ſeſe exhibebunt ad obſequium Principi debitum, & rempublicam opibus juvandam. Huc pertinet doctrina Ciceronis II. Officior. *Sin qua neceſſitas*, inquit, *hujus muneris* (ſcilicet ut ob ærarii tenuitatem & bellorum aſſi-

aſſiduitatem tributum ſit injungendum) *alicui reipublicæ obvenerit, danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.* Quo arcano prudentiſſimus Rex Angliæ, Henricus VII. etiam, niſi fallor, aliquoties eſt uſus; ſed populo, ut fraudem ſentiente, tandem invito.

Cæterum ingratis quoque ſunt accenſenda bella: ea enim omnium maximè averſari videntur ſubditi, tanquam mala, non ſolum poſſeſſioni ſuæ, ſed etiam conjugibus, liberis, atque ipſi vitæ periculoſa. Quare hoc loco iterum opus, ut eorum magna utilitas, quod fortè faciant ad gloriam comunem, mercaturam, ſine qua respublica conſiſtere non poſſit, promovendam, vel omnium ſecuritatem, inter cives doceatur: item inevitabilitas; aut etiam pietas, quia contra infideles fortaſſean aut alios religionis noſtræ infenſos hoſtes & turbatores intentanda. Ad hunc & proximè præcedentem diſcurſum referenda eſt oratio Henrici VII. qua in comitiis de malitia Regis Scotiæ adverſus Anglos graviter queſtus eſt, tandem concludens, ſe non poſſe absque honoris ſui jactura & ſubditorum ſuorum periculo (quibus protectionem deberet) injurias illas inultas pati; V. omnino Verulamius in Hiſtoria illius. Intendebat nimirum bellum & pecuniam ad illud expediendum. Ea autem non propterea adjicio, qua-

Digitized by Google

ſi principi integrum ſit ſemper, ob quamcunque etiam levem cauſam bellum ſuſcitare; modò cum animis ſuorum civium ita agere poſſit, ut hi non ſint adverſi. Sed his occaſionibus ea circa ſubditos obſtinatos uſurpanda puto, quoties bella ingruunt, quæ absque maxima difficultate, & reipublicæ ejusque gloriæ detrimento ingenti declinari non poſſint. Cum & ipſa natura humana ab hoc decertandi genere, ut belluarum proprio, ceteroquin abhorreat.

Hactenus de ratione ſtatus interna. Sequitur externa. Ea vero locum habet extra rempublicam noſtram, videlicet circa vicinos, vel illos, quibus nobiſcum quoquò modo commercium intercedit: ut ii ſcilicet in vel benevolentia conſerventur, vel officio contineantur. Quodoquidem ſcopus in eo eſt ſitus, tum ut impedimenta, commodo noſtræ reipublicæ oppoſita, vel impendentia, item pericula, qualia ab extraneis malevolis metuimus, removeantur, aut ſaltem enerventur; tum quoque, ut adjumenta, noſtram intentionem civilem promotura, quæ ab extraneis benevolis ſperamus, comparentur: utrumque obtinebimus tutius & commodius arcana ratione, ſive modis ad regulas ſtatus compoſitis.

Omnes autem vicini bene (niſi fallimur) in tres claſſes diſponi queunt: vel enim nobis

bis prodeſſe poſſunt, atqui etiam volunt; vel obeſſe poſſunt, atque data occaſione quoque velle timentur; vel vero neque prodeſſe, neque etiam obeſſe adeò, aut volunt, aut velle facilè præſumuntur. Qui prodeſſe poſſunt, & volunt, ſunt noſtri amici, quorum ſtudia ad noſtras utilitates adjungere, ac deinde tot legationibus & argumentis perſuaſoriis ſuſtentare, enixè molimur. Solet autem ejusmodi amicitia inter respublicas fundari non una de cauſa: nam finis interdum eſt mercatura, ſive ea ſit univerſalior, nimirum vel importandarum, vel exportandarum; ſive ſit particularis, & certæ alicujus rei, quatenus illinc petenda, aut hinc eò transferenda; interdum mutua defenſio contra communem hoſtem, vel certum, qui ab utroque jam metuitur, vel incertum, in futurum ſcilicet eventum; quandoque eſt offenſio, qua is petitur, aut a quo uterque læſus eſt, aut cujus potentiam uterque timet, ut ſocietate armorum ejus vires nocivæ vel ſuſpectæ infringantur; aliquando hoc ſaltem quæritur, ut amicus acquieſcat, adeoque nobis non ſolum opem non ferat, ſed noſtro cumprimis propoſito adverſus hoſtes noſtros non ſit impedimento. Obiter præterea hoc loco notari poteſt; quando plures respublicæ vicinæ contra comunem hoſtē, ſive nominatū ſive inominatum abarcendū una ſocietate connectuntur, eo
caſu

caſu cumprimis providendum eſſe, ut illud vinculum quam arctiſſimè conſtringatur, adque omnium conſervationem inviolabili conſenſu & ex æquo, remota ſcilicet quæcunque animi paſſione, conſervetur. Alioqui valde metuendum, ne illis idem eveniat, quod magno cum Romanorum emolumento, Britannis eveniſſe Tacitus commemorat *in Vit. Agricol. cap. 12.* quando dicit: *Olim Regibus parebant, nunc per Principes factionibus & ſtudiis trahuntur. nec aliud adverſus validiſſimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non conſulunt. Rarus duabus tribusve civitatibus ad propulſandum commune periculum conventus: ita, dum ſinguli pugnant, univerſi vincuntur.*

Ex dictis jam colligere eſt, ad quam amicitiæ ſpeciem hæc politica, ſive inter reſpublicas uſitata, potiſſimum ſit referenda: num ad jucundam, an utilem, an honeſtam, an verò omnes locum habeant. Ariſtoteles enim in Ethicis ſuis triplex ponit fundamentum, ex quo tripartitam hanc diviſionem eleganter eruit: jucundum, utile & honeſtum. At verò cùm inter ſocietates civiles mutua utilitas & intereſſe publicum maximè in conſiderationem veniat, præcipuè utilem amicitiam hic ſpectari, eſt ſtatuendum: ita tamen, ut debitus honeſtati reſpectus ſemper habeatur.

tur. Niſi enim utilitas cum honeſtate arctiſſimè ſit conjuncta, adeoque æquitate & juſtitia nitatur, æterna amicitia, qualem etiam noſtris temporibus inter Principes firmiſſimo fœdere frequenter ſtabiliri videmus, haut eſt ſperanda; ut propterea æternitas illa breviſſimis ſubinde terminis contineatur, experientia ſufficientiſſima teſte. Nam *læſio* in normam honeſti ab una vel altera contrahentium parte ad ſuum emolumentum commiſſa, conjunctionem, quamvis arctiſſimam, facillimè diſſolvit. Aut qui non veretur quicquid, quod libeat, in amicitia facere, cum eo hæc non poteſt eſſe diuturna: cum maximum ornamentum amicitiæ (juxta Ciceronis opinionem) tollat, qui ex ea verecundiam tollit.

Amicitiam autem hujusmodi contrahendi & contractam conſervandi varios, ſecundum praxin Statiſtarum quotidianam, obſervare licet modos: partim probos & tolerabiles; partim verò, quod in noſtram ideam univerſalem impingant, atque bonis moribus e diametro adverſentur, reprehenſione digniſſimos. Hujus farinæ ſunt callidæ circumventiones in emolumentum noſtrum, ſed perniciem alterius impenſæ. Illarum ſcopus enim eſt, & intentio, decipere vicinum, ut mihi inde obveniat bonum: jam verò ob ſuum commodum alterum in ingens damnum, & peri-

cu-

culum ſæpe, inducere, eſt moraliter malum; eaque de cauſa ab honeſto viro ſit alieniſſimū. Comparantur illi aſtuti Machiavelliſtæ a Saavedra ſatis ingenioſè cum Sirenibus; in quibus, quod cernitur, formoſum, quod auditur, ſuave; quod celat intentio, noxium; & quod infra aquam demergitur, monſtroſum. Nam facies illorum & geſtus pietatem, modeſtiam, omnesque virtutes præ ſe ferunt; verba ſunt blanda & ad perſuadendum tantum compoſita; propoſito vero, alterique pernicioſo (quod animo ſanctè tegitur) varii iique gratiſſimi colores, quales ſunt gloria divina, religio, libertas, tranquillitatis publicæ amor, officioſitas, & qui ſunt plurimi alii, cum cura prætexuntur: donec, quod deſiderant, pro animi ſententia ſint conſecuti. Præſertim familiare hodie eſt, ſub ſpecie pietatis vel religionis, ut quæ maximam vim in pium animum habet, velut equo Trojano, fallere: ceu quotidiana exempla hoc abundè oſtendunt.

Sed ita uti ratione ſtatus, ut vicini conditio inde deterior fiat, eſt eadem abuti. Illis caſibus demum eſt permiſſa, *quando finis actionum* (ceu probè notat Saavedra Symbol. LXXVIII.) *honeſti quidem ſunt, incertum tamen, an eos æquè in meliorem partem interpretati ſunt alii; aut quando periculum eſt, ne, ſi innoteſcant, obtineri nequeant, lice-*

licebit eos ea ratione diſponere; ut actiones noſtræ diverſam quaſi ſpeciem mundi oculis exhibeant, & putentur ex aliis honeſtis cauſis proficiſci. Qua in re nulla fraus ab eo committitur, qui ſic agit; recte enim id facit, & licitè: ſed malitia ſolum ſimulacrum aliquod ante oculos objicit, quo ſe ipſa decipiat, ut ne juſtis conſiliis Principis obſiſtat. Neque verò ulla cogit neceſſitas, ut ſcopum, quo intendit, aperiat aliis; imo attingere metam certam non poſſet, niſi eodem tempore in alias collineare videretur. Quæ hoc argumentum generatim ſatis eleganter, mea opinione, explicare videntur.

Nulla reſpublica autem in fœdus & ſocietatem cum altero ineundam, facile conſentit, niſi vel ſpe, vel metu eò commoveatur. Quanto majorem in animo vicini erigo ſpem, ſive boni acquirendi, ſive mali, quod metuit, propellendi, tantò mihi addictiorem ejus amicitiam promittere queo. Nam niſi hinc aliquod ſaltem bonum (quo ſpectant divitiæ, potentia, gloria & exiſtimatio, item ut fortè hoſtis infenſus enervetur) ſocius ſperare poſſit, vel ſaltem certus ſit, inde ſibi damnum non enaſciturum, reſpuet amicitiam oblatam. Hinc Baudius ex ſententia Legati Gallici quoque rectè notat: *Nullum eſt vinculum firmius ad mutuam opem ferendam, quam communis utilitas. Ea ſola magis*

aſtringit animos, quam juriſjurandi religio, vel fœderum conſentiones, quæ plus pompa habent, minus ſoliditatis. Lib. III. de Induc. Bell. Belgic. Qua de cauſa & Legatos hiſce caſibus omnem induſtriam impendere videmus, ut ſpecioſis argumentis bonum perſuadeant, & ſic voluntatem quæſiti amici ad ſuum deſiderium inclinent. Cujus quoque egregium exemplum exſtat apud Cornel. Nepotem in Epaminonda *cap. 6.* Idem obtinere magno ſtudio conatus eſt Rex Mithridates Epiſtola quadam ad Regem Arſacen; relata inter Fragmenta Hiſtoriar. Saluſtii. Contingit etiam interdum, ut metu majoris mali alicujus amicitiam amplecti cogamur, quem, arbitrio noſtro relicti, haut eligeremus.

Intereſt denique Principis maximopere amicitiæ jam contractæ conſtantiam quoque accuratè examinare. Et hinc enim noſtris conſiliis actionibusque modus & menſura non vilipendenda accedit. Ea verò neglecta, vel ſuſque deque habita, in tanta incidere pericula improvido quandoque accidit, unde pedem retrahere haut facile liceat. Potiſſimum autem conſtantia hæc concluditur ex animo amici honeſto, & commodo, quod ex hac noſtra conjunctione ad eum redundat; item quod metus vel nullus, vel exiguus, periculi, ipſi inde futuri. Alioqui, ſi animus ſub-

ſubleſtæ fidei creditur, vel ſpes emolumenti evaneſcit, & nil niſi detrimentum verendum, amicitiæ continuatio certè non eſt diuturna. Hinc quoque Procles Phliaſius, ad Athenienſes Legatus, in eam ſententiam rectè diſſeruit: *Poſtquam vobis, ô Athenienſes, Lacedæmonios in amicitiam recipere placuit, mihi imprimis conſiderandum eſſe videtur, quo pacto amicitia illa ſit perquam diuturnè manſura. Id verò fieri poſſe maximè arbitror, ſi æquis conditionibus utrinque fœdera ineantur.* Apud Xenophont. de Reb. geſtis Græcor. Lib. VII. Solent autem iniquo plerumque modo premi, qui certas ob rationes interdum ad belli finem tranſigendum quaſi inviti coguntur. Atque hinc, *qui rebus adminiſtrandis præſunt* (bene animadvertit Baudius Lib. I. de Induc. Bell. Belgic. circa fin.) *diligenter providere debent, ne ipſos fugiat, qua mente ſint affecti, qui de bello finiendo feriendoque fœdere conſilia ſuſcipiunt: utrum animis volentibus id faciant, an adducti temporibus & necesſitate, quæ legem omnem frangit, infirmatq; ut illis fides habeatur, tanquam fidelibus amicis ultro pacta ſervaturis; hi verò caveantur, tanquam in occaſiones intenti, & temporum inſidiatores.* Ut adeò vera ſit ea ſententia in Hiſtoria Florentina Machiavelli obſervata: *Qua necesſitate adacti polliceo*

licemur, non niſi neceſſitate eadem urgente ſervare ſolemus: Lib. V. Quæ obſervatio ad varios uſus politicos ſedulò eſt notanda. Ad quam omnino etiam referendum exemplum apud Livium *Lib IIX. cap. 21.*

Huc usque vicini, noſtri amici: ſequuntur illi, qui obeſſe poſſunt, atqui etiam volunt, occaſione id permittente. Etenim quarum rerumpublicarum intereſſe ita complicatum, ut ſibi impedimento ſint, ſive quæ invidia aut metu invicem agitantur, inter eas acerbum ſemper ali odium, vel quotidiana experientia teſtis eſt: perinde, ut illæ, quarum utilitas in uno tertio convenit, facillimè amicitiam conſervare poſſunt; imò ratione ſtatus earum hoc exigente, debent. Eſt autem illud odium publicum interdum adeò vehemens, ut in poſteros transmittatur, & quaſi hereditarium fiat: quemadmodum multis exemplis hoc manifeſtum. Hinc poſſit dubitari, num ergo nulla ſpes reconciliationis unquam inter ejusmodi hoſtiles animos reliqua? In anteceſſum notare oportet cauſas illius acerbitatis potiſſimas: quales ſunt (1.) mutuum impedimentum intereſſe publici (2.) invidia (3.) metus ob potentiam nimis creſcentem, & inde ſuſpectam (4.) memoria injuriæ ante receptæ fortè ex hoſtilibus invicem actibus, unde dulciſſima vindicandi cupido exiſtit, quippe juxta poetam:

Eſt

Eſt vindicta bonum vita jucundius ipſa.

Si jam illæ cauſæ removeri poſſunt, etiam de reconciliatione deſperari nequit: quandoquidem ſublata cauſa, ut habet canon philoſophorum, tollitur etiam effectus. Verùm cùm prius ſæpe perquam difficile, poſterius evenit rarius: quamtumvis magnus ſubinde labor impendatur in odium illud exſtirpandum, & memoriam præteritorum delendam; tamen creberrimè uſque recurrit.

Sunt autem inimici noſtri tales, vel actu, vel potentia. Actu inimicos appello, quando inter nos & illos hoſtilia re ipſa intercedunt: etiam cum belli fervor induciis ad tempus ſuſpenſus, hoſtili tamen animo flagrante. Potentia inimici ſunt, qui quidem de malevolentia & cupidine nobis nocendi ſunt ſuſpecti; ſed omni actu hoſtili ceſſante. Hi nobis vel ſunt potentiores, vel non: qui non ſunt potentiores nobis, viribus vel ſunt æquales, vel minores. Circa potentiorem vicinum cumprimis admodum circumſpectè & cautè Principem verſari oportet: alias metuendum, ne in idem periculum prolabatur, in quo aliarum avium plurimæ, aquilinis nimium vicinæ eſſe perhibentur; cum hæ illas corrodant, ac tandem deſtruant. Quàm providè Rex Galliæ & Regina tunc temporis Angliæ Hiſpanici Regis conatibus

 ob-

obſliterint, & quanta prudentia illi hujus conſilia ſtatus contrariis conſiliis enervarint, eleganter oſtendit Dux Rohanus *Trutin. Stat. Europ. Diſcurſ. 2. & 7.*

Porro generatim notandum eſt, quod malevolos vicinos noſtros repellere poſſimus, tum per nos ipſos, tum per alios, noſtros amicos: & quidem per nos potiſſimum committendo, deinde etiam omittendo ſive permittendo. Sic malevoli vicini propoſita & molimenta reclinantur, quando prudenti ratione ipſius potentiam, nobis periculoſam, deterere, & noſtram econtrà augere, ſedulo operam damus: ut plurimis modis ex praxi notis vires inimici minuimus, ita etiam variè noſtras adaugere poſſumus. Ad ſpecialiores modos, hac occaſione uſitatos, deſcendere operoſum foret, & à noſtro ſcopo alienum. Inter quos verò eos, quando aut ſubditi ad alia ſcelera quacunque ratione illegitima aſtutè ſollicitantur, ſummopere improbandos exiſtimamus.

Omittendo ſive permittendo male affecto erga nos vicino nocere poſſumus, quando illud, unde ejus potentia vires aſſumeret, aut ſaltem in priſtino ſtatu conſervaretur, intermittimus; nec ulla ratione impedimus, quæ in ipſius qualecunque detrimentum ceſſura conjectamus. Id quod Gothi quodammodo intendiſſe videntur, cum Romanum in-

imperium vaſtando ubique libros intactos relinquerent; quod ſtudiis literarum hoſtes ſuos tantò magis fore imbelles opinarentur. Simile conſilium Regi Hiſpaniæ dedit Campanella *in Libell. de Monarch. Hiſpan. cap.30.* nimirum ut typographiæ & uſus literarum in Turciam inveherentur; ad emolliendos Turcarum animos, eosque a militia, ut cui hactenus unicè operam navant, ad diſputationes & ſtudia Theologica & philoſophica, diverſis ſectis inter ſe diſſidentia, quo ab invicem diſſiparentur, atqui enervarentur, revocandos. Ex eodem prudentiæ fonte (niſi fallor) deſumpta eſt regula, quam Lacedæmonii, adverſus hoſtes ſuos ſibi ſervandam, præſcripſerunt: *Adverſum hoſtes eosdem bellum ſæpe non gerendum, ne ii belli artes diſcant, & uſu multo habitum ac promptitudinem ſibi parent*: Ceu Ubbo Emmius notat in deſcriptione hujus reipublicæ. Neque enim deſunt exempla eorum populorum, qui creberrimis vicinorum bellis exercitati tandem ad ingentem perfectionis militaris gloriam adſcendere. Ut paulò antè citatus Campanella magnum prudentiæ argumentum eſſe ſtatuat, vicinos, ne exercitati & ſtrenui evadant, diu in armis non detinere. Qua intentione etiam Hiſpanos cum Belgis duodecennalium induciarum pactum iniiſſe teſta-

ſtatur Forſtnerus *Not. polit. ad Tacit. Lib. XV. Annal. cap. 5 fin.*

Abſolutis duabus vicinorum claſſibus: reliqua eſt tertia eorum, qui neque prodeſſe, neque etiam obeſſe adeò aut volunt, aut velle facile putantur. Suntque addicti magis, vel nobis, vel noſtris inimicis vel utrique parti ex æquo. Nobis addictiores, item & tertii generis, etiamſi non adeo potentia conſiderabiles, tamen haut ſunt negligendi; ne aliquando noceant, a nobis fugati. Ii, qui ad hoſtes noſtros magis propendent, ita ſe habent, ut illorum ſucceſſibus libentius faveant, quam noſtris; imò data interdum occaſione clanculum ipſis permittant, quæ in noſtram perniciem quadantenus explicari poſſint. Nihilominus tamen in neutralitatis ſtatu usque ſunt tenendi: niſi ratio belli & temporis commoditas fortaſſis aliud conſilium requirant.

Ex iis, quæ circa hoc argumentum præſertim in conſiderationem venire ſuprà diximus, reſtat quartum & ultimum, vel verbo expediendum; ſcilicet quomodo illi, qui rationem ſtatus profitentur, debeant eſſe comparati. Nam idoneitatem perfectam exigi in eo, cui tanti ponderis negotia incumbunt, videtur eſſe extra omnem dubitationem. Maximè autem Statiſtæ intellectus rectè ſeſe habeat, ſitque ſufficienter inſtructus dotibus,

pari-

partim naturalibus; partim etiam acceſſoriis, induſtriâ videlicet humanâ. Ingenioſitate enim valeat, & prudentia exquiſita, ut non ſolum antè inventa & uſurpata feliciter applicare, verum etiam ipſe novis caſibus oblatis ſuopte ingenio prudenter aliquid adinvenire queat. Hinc omnino opus eſt notitia, ſed illa ornata, tum doctrina, tum potiſſimum copioſa experientia ex ſingularibus, vel etiam hiſtoriis (aliorum ingenioſas & prudentes inventiones, atqui negotiis civilibus jam antè cum bono ſucceſſu applicatas, tradentibus) collecta.

Deinde quoque appetitus ſit bene aſſuefactus, atque Statiſta paſſiones animi omnino habeat in poteſtate. Niſi enim affectus ad incorruptam rationem ſint rectificati, & præter hoc, quod intellectus bonum & honeſtum ſciat, quoque illud ament, atque ardenter amplectantur, metuo, ne tandem omnis prudentia in Machiavelli hæreſin politicam, quam tamen cane pejus & angue fugiat, commutetur. A quo vitio tantò magis eſt cavendum, quantò ille, qui a virtutis tramite deflectit, & ad hoc ingenio præ cæteris pollet, aptior ad nocendum. Ceu etiam Ariſtoteles in Politicis ſuis *Lib. I.* hoc ipſum perbene obſervat, & præterea ex flagitioſorum hominum rebus geſtis palam eſt.

Inter bona externa cumprimis Statiſtæ

attribuimus bonam famam & exiſtimationem. Siquidem opinio de ipſius probitate, candore & fide, divulgata inter eos maximè, cum quibus negotium verſandum, rationis ſtatus intentionem oppidò juvat: velut econtra ob flagitia & perfidiam ſuſpecta hujus ſcopum non parum remoratur. Quare, ut revera bonus vir ſit, non ſufficit, ſed quoque talis ab aliis, quibuscum agit, habeatur oportet. Nec non autoritatis, ut bonæ famæ ſobolis, denique aliqua ratio eſt habenda: cum pondus haut contemnendum conſiliis rationis ſtatus addat, & ad optatum eventum multum cooperetur.

CAP. VI.
DE
Prudentia militari.

QUanto majora ſunt gerenda negotia, tantò exquiſitiorem ea requirere curam & expediendi rationem, nemo negabit. Bellica autem eſſe ejusmodi, unde reipublicæ, vel conſervatio, ſecuritas & ſalus; vel contrà quam plurima mala & varia miſeriarum genera eveniant, innumeri caſus ad hoc usque tempus abundè conteſtantur. Quapropter & prudentia militaris, actuum bellicorum directrix, ad perfectionem imperatoriæ artis haut exiguum confert momentum. Nec ſolùm

lùm utile eſt, aut neceſſarium, ſed quoque, hiſce in rebus arduis prudenter ſeſe gerere, Principi maximè glorioſum. Nulla enim unquam major obtinetur gloria, quam quæ ex convenienti bellicæ rei adminiſtratione, pro communi ſalute ſuſcepta, contrahitur. Cum autem tria belli, circa quod hæc qualitas occupata eſt, ſumma capita quam maximè ſint perpendenda; ſcilicet *Antecedentia, Concomitantia* & *Conſequentia*; quoniam nihil, quod ad horum unum referri non poſſit, nobis ſeſe offerret. De ſingulis hiſce imposterum nobis diſſerere incumbit.

Atque ad antecedentia pertinet examen, quod omnino inſtituendum circa conceptum, animo de bello quodam gerendo formatum: ac duobus actibus in conſilio diligenter & cum cura eſt expediendum; ut primo quæratur de juſtitia, ſive utrum juſta ſubſit belli cauſa; & deinde, ſi de juſtitia conſtat, deliberatio habeatur, utrum bellum hoc ſuſcipere Principi expediat, aut anne illud alia ratione declinare hac vice conſultius ſit. Nam niſi hæc duo in anteceſſum bene obſervaverit Princeps, eaque ſubſequentibus ceu fulcra ſubſtituerit, ad optatum finem haut perveniet: Sed infeliciter ſeſe, vel imprudenter rem ſuam incepiſſe mox ſentiet; ut ſunt plurimi eventus bellorum hactenus geſtorum hujus rei infallibiles quaſi teſtes.

Quod prius attinet, notandæ hoc loco ſunt cauſæ, ex quibus inter reſpublicas bella ſuſcitari ſoleant. Videmus autem ea ſæpius originem ſuam debere levibus principiis; imò immoderatis affectibus. Sic notæ ſunt hiſtoriæ quibus bella ob denegatum matrimonium facta enarrantur. Et quot non ſunt ſuſcitata ex avaritia, vel ambitione, vel ira enormi, ad tum amplificandos regni terminos, tum conſequendam gloriam, tum injuriam, opinione erronea potius quàm revera gravem, vindicandam. Nec eſt dubium, quin etiam hoc tempore quibusdam ea apud Tacitum ſæpiuſcule incidant, animoque volutentur: *Non ignavia magna imperia contineri: virorum armorumque faciendum certamen. Id in ſumma fortuna æquius, quod validius. Et ſua retinere privatæ domus: de alienis certare regiam laudem eſſe.* Lib. XV. Annal. cap. 1. Verumenimverò cum fundamenta hæc ſint talia, quæ exiguam, aut nullam armis juſtitiam communicare poſſint, ſequitur hinc ejusmodi bellis omnino eſſe abſtinendum; ne Princeps ſe ſuamque civitatem in maxima præcipitet pericula. Ut non in minima commendationis, Imp. Auguſto a Suetonio attributæ, parte ponatur, quod is non tantū abſuerit a cupiditate bellicam gloriam augendi, verum nulli etiam genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum unquam intulerit.

rit. Bene enim ipſi fuit cognitum, belli ex juſtitia ſuſcepti & continuati, demum eſſe felicem ſucceſſum. Obſervationem omnino merentur, quæ in hanc rem Legatus magnæ Britanniæ apud Ordines Generales unitarum Belgii provinciarum, ex ipſo prudentiæ fonte doctè diſſerit: *Hac fiducia*, inquit, *erigit animos, hac vires ſecundas ſubminiſtrat. Cauſa melior pulcherrimum augurium eſt ad bene de victoria ſperandum. Sed niſi moderando felicitati veſtra propitietis ultricem inſolentiæ ac ſuperbiæ Nemeſin, quantò celſius ſublati eſtis tantò graviùs corruetis. Deus impia bella favore ſuo non ſecundat:* teſtatur Baudius *Lib. III. de Induc. Bell. Belgic.*

Cauſæ verò belli juſtæ communi Politicorum ſententia ſunt maximè hæ: (1.) Defenſio, tum ſui ipſius & eorum, quæ jure poſſidet, tum etiam aliorum nimirum vicinorum & ſimilium, quibus vel ſpeciali amicitiæ vinculo, vel communi naturæ & gentium jure ad opem ferendam obſtrictus eſt. (2.) Repetitio ejus, quod aut ipſius Principis eſt, aut illi debetur. (3.) Ultio injuriæ, aut ipſi majeſtati, aut bonis ſubditorum illatæ; ad exigendam debitam pœnam inſtituta. Circa ultionem injuriæ tamen hoc unicum eſt notandum, ne Princeps pœnam ipſa læſione grandiorem exigat; ſed hic in propria cauſa

æquum, & ab omni animi paſſione liberum juſtitiæ interpretem & adminiſtratorem agat. *Ulciſcamur eos*, inquit Cicero Lib. II. Officior. *qui nocere nobis conati ſunt, tantaque pœna afficiamus, quanta æquitas humanitasque patiatur.* Cui loco prorſus parallelus eſt I. Officior. *Sunt autem quædam officia etiam adverſus eos ſervanda, a quibus injuriam acceperis: eſt enim ulciſcendi & puniendi modus.*

Cæteroquin hæc ſunt præcipua capita, ex quibus de juſtitia belli alicujus judicari poteſt. Sunt autem Principi cumprimis obſervanda: cùm injuſta bella Deum paratiſſimum vindicem habeant; nec minus homines ad comprimendam iniquitatem, contra ſe acriter impellant. Quare ad conciliandos hominum animos hodierno more prudenter ſolent publicari Scripta (vocantur vulgò Manifeſta) quibus utraque pars, eliſis & refutatis argumentis invicem oppoſitis, æquitatem ſuæ cauſæ ſollicitè docet: ut hæc ſint quaſi præludium futuri belli. Callidè autem hoc ipſum obſervatur, etiam ab iis, qui præter colorem & umbram nihil juſti, quod ſuo propoſito prætendant, habent.

Poſtquam autem Pinceps de juſtitia ſuæ intentionis certus eſt, pergit ad deliberationem, qua inquirit in illud; num etiam expediat ipſi hoc bellum cum vicino ſuo ſuſcipere.

pere. Quæ quæſtio examinanda ipſi eſt ratione tum poſſibilitatis, tum etiam utilitatis: quemadmodum illud ex ratione conſilium inveſtigandi jam ante notum. Utrum bellicum hoc negotium, quod aggreſſurus eſt, ſibi ſit poſſibile, & in quantum tale, illud apparebit, perpenſis viribus ſuis, & collatis iis haut perfunctoriè cum hoſtis futuri. Nam non ſolum ſuam potentiam, quatenus ad hanc actionem neceſſaria eſt, ſed & pari diligentia ipſius hoſtis vim, quam ei oppoſiturus, animo volvere debet. Ut autem illud debitè & ex voto ſuccedat, requiritur in Principe quoque accurata notitia hoſtis ad modum, ut paulò poſt largius dicetur, & ſi fieri poteſt, non minori perfectione, quam qua ſua tenet. Hic quoque in conſiderationem veniant pericula & fortunæ viciſſitudines, quibus bellum, tanquam res magnopere dubia & incerta, ſubjectum: ut etiam illa belli poſſibilitas, ſi adſit, cum ingenti periculo & ancipiti exitu ſemper ſit conjuncta. Eo omnino referendum inter Emblemata politica Boxhornii primum.

Præterea examinandum eſt negotium hoc bellicum ad utilitatem; numne ex bello plus damni quàm commodi, quod ſperatur, ſit futurum. Sæpiſſimè enim bella inter Principes leviſſimis de cauſis excitantur, unde neque emolumentum, neque gloria, neque quic-

quicquam in compenſationem ingentis laboris & ſumptuum impenſorum re peracta reliquum eſt; niſi exhauſtum ærarium, rudera incenſarum & dirutarum urbium, civium miſerrima conditio, & innumera alia calamitatum genera. Quippe *bello* (ſunt verba Saavedræ) *ordo & harmonia turbatur reipublicæ: mutatur religio; violatur justitia; ſilent leges; læduntur amicitia & conſanguinitas; artes in oblivionem veniunt; perit agricultura; ceſſant commercia; vaſtantur civitates & immutantur dominatus*: Symbol. LXXIV. Hinc quoq; Ericus Puteanus, Conſiliarius & Hiſtoriographus Regius vehementer in commune conſulit pro Rege Hiſpaniarum ad pace finiendum bellum Belgicum; Videlicet, non ſolum propter innumerabilia mala hactenus perpeſſi; verum etiam ob ſumptus, tunc belli precium, & quicquid bello petebatur, multum excedentes: ceu videre eſt in ejus Statera Belli & Pacis. Prudens ergo Princeps tanti ponderis rem, antequam ad rationem jam jam dictam exquiſitè eam conſideraverit, non aggredietur. Imprudenter enim rebus ſuis conſuleret, ſi ob quamvis cauſam, licet juſtam, bellicum hoc periculum amaret: cum malum, quod ſuſtinere cogeretur, bono, cujus conſequendi ſpem fovet, multis modis gravius eſſe poſſet. Quare Imperat. Auguſtus

dus prudentiſſimè *prælium aut bellum ſuſcipiendum* (verba ſunt Suetonii in vita illius) *omnino negabat, niſi cum major emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. Nam minima commoda non minimo ſectantes diſcrimine ſimiles ajebat eſſe aureo hamo piſcantibus; cujus abrupti damnum nulla captura penſari poſſet.* Proderit etiam Monita, quæ Grotius *Lib. II. cap. 24. de Jur. Bell. & Pac.* ſuggerit, hic bene obſervare.

Non poſſum, quin hoc loco inſtar exempli obiter indicem caſum, huic doctrinæ aliquantum lucis conferentem, quem eleganter conſcribit Guicciardinus *Hiſtor. Italic. Lib. I.* Contigit autem ille inter Carolum VIII. Galliæ Regem, & Ludovicum Sforziam Mediolanenſium Ducem: quorum hic Regem contra Ferdinandum, Arragoniæ quoque Regem, ad vindicandum regnum Neapolitanum, propoſitis pro fine ſuo obtinendo rationibus, juſtitiam, facilitatem & utilitatem expeditionis hujus docentibus, per legatum concitare conatus eſt. Quanquam in contrarium Galliæ Magnates, genere & prudentia inter cæteros nobiles, illius regni occupandi difficultatem magnã, & retinendi longè majorem indicavêre, atqui etiam illud argumentis allegato loco oſtendêre.

Hiſce præmiſſis ad concomitantia ſive ipſum

ipſum negotium ejusque conſtitutionem progrediendum eſt. Hic vero quatuor præſertim ſunt conſideranda: (1.) Scopus (2.) illud, in quo actionis vis occupata (3.) ratio agendi (4.) ipſum agens, cum iis, quæ illi adjungere oportet. Scopum quod attinet, præſupponitur hic, velut ex præcedenti deliberatione jam ſatis notus: ut ad id, circa quod expeditio bellica verſatur hac vice pergere liceat. Eſt autem hoc nihil aliud quam hoſtis, quatenus ipſum ſuperare & eò agere propoſui, donec, quod intendo, mihi præſtet. Quapropter Principi, non ſuperficiariam, ſed abſolutam, etiam hoſtis, habere cognitionem incumbit. Neque enim res ſuas, niſi eas hoſtis viribus exactè metiatur, prudenter & ad felicem ſucceſſum adminiſtrare poteſt. Ut recte ſtatuat Vegetius: *difficilè vincitur, qui verè poteſt de ſuis & adverſarii copiis judicare.* Hinc egregius Philoſophus ac Athenienſium Imperator, Chabrias, in ore habuiſſe fertur; *eum optimè Ducis munere poſſe fungi, qui res hoſtium quam maximè cognitas haberet.* Conſtat etiam illud de Annibale, celeberrimo ob res prudenter & feliciter geſtas, Poenorum Duce, ei omnia hoſtium haut ſecus ac ſua fuiſſe nota. Ut prolixitatis vitandæ cauſa prætercam, quæ Ariſtoteles *Lib. I. Rhetor. cap. 4.* egregie etiam in hanc rem diſſerit. Penetramus autem

tem in illam notitiam, magnopere utilem, cumprimis per exploratores noſtros, vel captivos. Interdum quoque ex velitationibus particularibus, illum in finem quæſitis, prudentes bellatores ejusmodi colligere ſtudent. Hanc prudentiam etiam perbene obſervaſſe Jul. Cæſarem in expeditione contra Belgas, vel hinc conſtat, cum primo, & propter multitudinem hoſtium, & propter eximiam opinionem virtutis, prælio ſuperſedere ſtatuit: quotidie tamen equeſtribus præliis, quid hoſtis virtute poſſet, & quid ſui milites auderent, periclitabatur. Ubi ſuos non eſſe inferiores intellexit, locum pro caſtris ad aciem inſtruendam natura oportunum & idoneum elegit. Videſis ipſius *Commentar. de Bell. Gallic. Lib. II.*

Ad plenam autem (ut argumento tam neceſſario ſtudioſius inhæreamus, & accuratius) cognitionem rerum hoſtilium, referenda ſunt omnia illa, in quibus vires nobis oppoſitæ conſiſtunt. Qualia ſunt inter alia, pecunia, amici, & imprimis milites, quos alit. Primò itaque conducit ſcire, an ſint nummi in promptu, & quanta earum copia; item num poſſit, parata pecunia expenſa, in evacuatum ærarium ſufficiens quantitas, & quidem ſine magna difficultate, reparari. Nec minus Principi cogniti ſint amici, qua potentia valeant, quo nexu ſint hoſti conjuncti, quo ge-

ne-

nere opis ſuccurrant, an pecunia, an conſiliis, an ſimul omnibus; item utrumne aliqua ratione ſeparari poſſint. Omnium autem maximè ſit curioſus in perquirendis iis, quæ ad ipſos milites ſpectant. Et quidem in univerſum noviſſe oportet, quantus eorum numerus, unde ſint collecti (ut ex patriæ hiſtoria & rebus geſtis quodammodo judicari poſſit de eorum idoneitate) quomodo præterea exercitati, tum ad arma tractanda, tum etiam in periculoſis; item num bene erga ſuum Ducem affecti, num fideles, conſtantes, & quæ ſunt hujus generis plurima alia.

In ſpecie vero inquirendum eſt in officiarios cum diligentia, quos habeat hoſtis, & quales; nempe quomodo illi ſint comparati quoad benevolentiam erga ſuum caput, & quoad militares virtutes, an quiſque ſufficienter inſtructus dotibus officio, cui præfectus, dignis, aut an ex mero quodam affectu & adulatorum commendatione propter lucrum, vel alia de causa (ut quandoque fieri ſolet) ad dignitates evehatur. Sic Charidemus, vir egregiè prudens, Alexandri M. tunc temporis hoſtis ſui, exercitum ſecundum virtutes corporis & animi, hic perpendendas, curioſè examinavit; ad exercitum Perſicum facta comparatione: apud Curtium *Lib III. cap. 2.*

Sed ut inter officiarios militares Imperator bellicus maxime eminet, ita tantò majori cu-

a etiam illius notitia eſt comparanda. Huc faciunt, quæ Lipſius *Lib. V. Polit. cap.* 16. ex Polybio notat : *Nec enim aliter ego dixero, quam ſi quis cenſet aliud magis proprium eſſe boni ducis officium, quam hoſtium Imperatoris ingenium naturamque noſſe, errare eum, imò inſanire.* Qua de cauſa etiam Annibal in novi exercitus Romani Ducis, Fabii, prudentiam bellicam ſollicitè inquirens, animum ejus variis modis agitando, vafre tentavit; ut bene obſervat Livius *Lib. XXII. cap.* 12. Idque eò magis exiſtimo Principi eſſe neceſſarium, quia ab Imperatoris virtutibus & prudentia totum imperium dependet, omnesque actus formam, & pene dixerim, optatum exitum nanciſcuntur. Eſt enim inſtar primi mobilis, ad cujus vim reliquorum motus componuntur.

Jam ad illud, quomodo Princeps ſe circa expeditionem hanc ſuam habere debeat, pergendum eſt. Duo autem hic præſertim in conſiderantiam veniunt: (1.) Conſilium (2.) ipſe Actus. Nam in prælii concurſu res a conſilio ad vires vimque pugnantium abeat; ceu Corn. Nepos militaris prudentiæ commodo obſervat in Thraſibulo. Et Salluſtius de Bello Catilin. non procul ab init. *Sed diu magnum inter mortales*, inquit, *certamen fuit, vine corporis, an virtute animi res militaris magis procederet. Nam & prius*

quàm

quàm incipias, conſulto, &, ubi conſulueris, maturè facto opus eſt. Ita utrumque per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget; Niſi enim a conſilio ad actionem etiam in bellicis negotiis procedatur, felix rerum eventus fruſtra eſt ſperandus. *Ingenii magni eſt* (inquit Cicero 1. off.) *præcipere cogitatione futura, & aliquantò antè conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem; & quid agendum ſit, cum quid evenerit; nec committere, ut aliquando dicendum ſit, non putaram: hæc ſunt magni animi & prudentia conſilioque fidentis: temere autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum ſimile eſt.* Conſilia ergo militarium actuum quaſi anima ſunt & vigor. Hinc Xerxes magis conſiliis Themiſtoclis, quam armis Græciæ victus; atqui etiam Hannibal Pergamenorum arma conſilio ſuperaſſe, dicuntur.

Circa conſilia hæc tria impræſentiarum notare non adeò videtur abſonum: qualia ſunt; 1. Perſonæ conſilium ſuppeditantes; 2. Obſervationes quædam; 3. Diviſio. Conſiliarios bellicos quod attinet, ſint illi rerum, huc ſpectantium maximè periti, & hiſce rebus, ad quas a Principe ſeliguntur, idonei. Poſſunt autem in ejusmodi caſibus adhiberi, pro negotiorum oblatorum natura & conditione,

tum

tum Ordinarii, tum Extraordinarii. Ordinarios apello illos, qui peculiari conſtitutione huic muneri ſunt deputati. In claſſe Ordinariorum duplicis generis homines (niſi fallor) ſunt utiles; Politici & Militares. Illi prudentia politica & cognitione hiſtoriarum adeoque communiori variarum rerum experientia juvare poſſunt: hi vero imprimis ſpeciali actuum bellicorum uſu, & notitia magis practica; qua etiam de eo, num propoſitum conſilium ſit (ut vulgo loquuntur) practicabile, judicare valent. Tantò autem magis hanc admixtionem Conſiliariorum militarium requiro, quia eruditio omnibus numeris abſoluta in militibus rarior eſt; quæ tamen etiam ad conſilium bellicum inveniendum neceſſaria. Nec enim cuivis contingit, quod de magno olim Galliæ Duce Rohano teſtantur; *non minoris eum fuiſſe judicii in conciliandis privatim conſiliis, atque in exequendis publicè boni ducis officiis.* Ita ſeſe habeant ordinarii: ſed & interdum extra ordinem pro re nata ſunt advocandi ex officiariis belli ſenioribus, qui ob plures actiones, quibus interfuêre, & naturæ dotes, præ cæteris ſunt celebres; ut in oblato caſu, qui multum fortean experientiæ militaris expoſcit, ſuam ſententiam dicant. Ad hanc prudentiam in eligendis conſiliariis circa negotia bellica, ſeſe quoque compoſuiſſe Alexandrum

Se-

Severum, colligere licet ex Forſtneri *Not. polit. ad Tacit Lib. XIV. Annal. cap. 51.* ubi autor teſtatur, illum ad ejusmodi caſus adhibere ſolitum eſſe milites veteres, ſenes & benemeritos, ac rerum militarium peritos; item literatos, qui hiſtoriam noſſent, & quid in talibus cauſis, quæ in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium, feciſſent, referre valerent.

Jam ad obſervationes: quas quidem prudentia militaris plena manu depromit; verum cum hæ in abſtracto propter rerum ſingularum circumſtantias determinari certò non poſſint, & negotiis applicatæ aliter ſeſe habeant, quasdam ſaltem hic obiter annotare placuit. Atque *primo* ſecuritas omnino eſt vitanda, tanquam futuri exitii cauſa paratiſſima; ceu multa id ipſum comprobant exempla. Solet autem fortunam ſecundam, & hinc crebro obtentam victoriam, haut raro ſequi. Nam hæc ex imprudentia labes quaſi generi humano propria eſſe videtur, ut hoſtem aliquoties feliciter devictum contemnamus, & ex contemptu, ab armorum felicitate excitato, ſecuritatem contrahamus, ac ſocordiam. Quod Tacitus etiam circa Sejanum notat, quando ipſum nimia fortuna ſocordem dicit, *Lib. IV. Annal. cap. 39.* Exemplum hoc quidem ex claſſe rerum civilium eſt petitum; ſed quin eadem ratione in militia cre-

ber-

berrimè occurrat ejusmodi animi imperfectio, prorſus non eſt ambigendum. Cumprimis etiam huc referendum eſt illud, quod Baudius circa Inducias Belli Belgici commemorat: cui hanc obſervationem, ſanè elegantem, & notatu omnino dignā, ſubjungit: *Nihil eſt magis cavendum duci provido & circumſpecto, quàm nimia ſecuritas, quæ plerumque cauſa fuit calamitatis, præſertim in bello, ubi non licet bis peccare, nec indignior ulla vox excidere poteſt moderatori exercitus, quàm ſi per imprudentiam committat, ut dicendum ſit, non putaram. Omnia ſolerti conſilio providenda ſunt, quæcunque evenire poſſunt, & quidem adverſos caſus animo præcipere oportet potius quàm ſperare proſperos, ut ſi quid præter ſpem evenerit, id lucri rationibus imputetur.* Lib. III. Ut verò hoc vitium fugiendum, ita econtra hoſtem facere ſecurum, eſt egregium arcanum. *Deinde* monent politici, hoſtem ad ſe defendendi neceſſitatem, adeoque deſperationem, nunquam eſſe adigendum. Siquidem hoc omni ignavia diſcuſſa, vires & audaciam in hoſtibus valde auget. Sed potius Scipionis Africani dictum: *Hoſti fugienti viam non modo concedendam, ſed etiam ſternendam atque muniendam eſſe*; bene eſt obſervandum. Videſis etiam hic Machiavellum ad *Liv. Lib. III. cap. 12.*

Tertiò notandus eſt modus, hodierna præ-

xi valde uſitatus, dividendi vires hoſtiles, quem vulgò diverſionem, eine Diverſion/ appellant. De quo artificio politico, variis occaſionibus valde utili, pereleganter diſſerit Saavedra *Symbol. LXXXX.* Et hac ratione ſæpe potentia hoſtis prudenter diſtrahitur & infringitur; maxime per amicos & fœderatos. Hinc videmus inter quosdam principes firmam amicitiam, ſecundum maximas (ut communiter loquuntur) rationis Status, ſanctè conſervari, eum ſaltem in finem, ut tertium vicinum, qui utrique de potentia & libidine invadendi illorum regna fortè ſuſpectus, metu diverſionis in officio contineant. Ad quod genus conſiliorum militarium quoque referendum illud, quo Jul. Cæſar adverſus Belgas uſus, quando Divitiacum Æduum cohortatus, ut Ædui ſuas copias in fines Bellovacorum introducerent, eorumque agros popularentur: docens, quantopere reipublicæ communisque ſalutis interſit, manus hoſtium diſtineri, ne cum tanta multitudine uno tempore confligendum ſit: *Lib. II. de Bell. Gallic.*

Quartò cunctatio celeritati aut feſtinationi in negotiorum bellicorum expeditione eſt præferenda; ita tamen, ne Princeps occaſionem, ſuæ intentioni commodam, cum ingenti diſpendio negligat. Cumprimis ergo attendendum, ne improvidè incidamus in illud, quod in ejusmodi conatibus ſæpe evenire ſo-

ſole: ; *ut nimirum mora occaſioni, celeritas vero viribus nocumento ſit*: Ceu obſervatur apud Machiavellum Lib. II. Hiſtor. Florentin. Quapropter hic magna prudentia opus eſt. Nam interdum actiones bellicæ ſunt maturandæ, ut quando tui milites virtute animique vigore & numero hoſtiles copias ſuperant, ac adverſarius hiſce omnibus brevi te ſuperiorem metuitur ; & ſimilibus caſibus. Tali conſilio T. Martius, Eques Romanus, cum bina caſtra Pœnorum paucis millibus paſſuum diſtarent, proxima intempeſta nocte adortus: & cum hoſtem, victoriæ fiducia incompoſitum, tam felici ſucceſſu aggreſſus, ut ne nuncios quidem cladis ſuperſtites reliquisſet, breviſſimo temporis ſpatio militi ad requiem conceſſo eadem nocte raptim famam rei geſtæ antevertens, altera eorundem caſtra invadit, atque ſic bis ſimili uſus eventu, ac delectis ubique Pœnis, amiſſas populo Romano Hiſpanias reſtituit : teſte Frontino *Lib. II. Strategem. cap. 10.* Sæpius tamen cunctatio, cum exquiſito conſilio conjuncta, ad inopinatam, ſed ingentem victoriam profuit. Ceu etiam Suetonius Paulinus, prudens Dux bellicus hiſce docere videtur apud Tacitum Lib. II. Hiſtor. cap. 31. & ſeq. *Feſtinationem hoſtibus, moram ipſis utilem:* item paulò poſt: *Jam Germanos, quod genus militum apud hoſtes atrociſſimum ſit, tracto in æſtatem bello, fluxis corporibus, mutatio-*

nem feliciterque hunc toleraturos. Multa bella impetu valida, per tædia & moras evanuiſſe. Cunctando enim hoſtis variè fatigari & conſumi poteſt: Cujus quoque egregium nobis reliquit exemplum Q. Fabius Maximus contra Annibalem, quamvis prudentem & fortunatum Ducem, probatum. In cujus viri, ac prudentiſſimæ expeditionis, perpetuam gloriam ita canit Ennius:

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque magisque viri nunc gloria claret.

Quintò rariſſimè, & non niſi vel certa victoriæ ſpe, vel inevitabili neceſſitate coactum, in prælium, a quo ſumma totius negotii dependet, deſcendere prudentis eſt belli Imperatoris. Nam *conflictus publicus duarum vel trium horarum certamine diffinitur: poſtquam partis ejus, quæ ſuperata fuerit, ſpes omnis intercedit. Ideò omnia antè cogitanda ſunt, antè tentanda, antè facienda, quàm ad ultimum veniatur abruptum. Boni enim Duces non aperto Marte prælium, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, ut integris ſuis quantos poſſint hoſtes interimant, certè vel terreant:* prudenter monet Vegetius *de Re militar. Lib. III. cap. 9.* Quoniam dubii ſunt rerum exitus, & præter omnem ſæpe exſpectationem eveniunt. *Habet*, ceu docet

Pli-

Plinius Panegyr. *has voces conditio mortalium, ut adverſa ex ſecundis, & ex adverſis ſecunda naſcantur. Occultat utrorumq; ſemina Deus, & plerumque bonorum malorumque cauſa ſub diverſa ſpecie latent.*

Sextò famæ ratio omnino habenda. Nam fama ſpem vel metum (affectus magni hic momenti) in animis militum efficaciter commovere poteſt. Itaque res adverſæ prudenter ſunt occultandæ: quippe harum relatione noſtrorum militum animi turbantur & franguntur; hoſtilium verò eriguntur. Atqui hæc adeo vera ſunt, ut & incertus ac fallax rei adverſæ rumor cuncta formidine implere quandoque valeat. Idem quoque Tacitus docere videtur, cum de Germanis dicit Lib. de Morib. eorum cap.13. *Et ipſa plerumq; famâ bella profligant.* Eodem recidunt illa Livii Lib.27. *Fama bellum conficit, & parva momenta in ſpem metumque movent animos.* Magno proinde encomio digna providentia Eumenis, celeberrimi ſuo tempore Ducis, famam exercitus Macedonum, de rebus fortiſſimè geſtis ingentem, a ſuis copiis, neque ſatis numeroſis, neque quod inexercitatæ, ac non multo ante contractæ eſſent, firmis, prudentiſſimo conſilio avertentis: ne ſi ſui cognoviſſent, adverſus quos ducerentur, metu periculi, non ſolum prælium detractarent, verum etiam ſimul cum nuncio dilaberentur.

Septimò occaſio etiam ad quemvis actum expediendum attentè eſt obſervanda, ita ut neque tuæ deſis, neque ſuam hoſti concedas. *Pro loco enim*, inquit Loccenius Not. polit. ad Curt. Lib. VIII. *tempore & occaſione belli ratio, vel inſtituenda, vel mutanda eſt.* Hinc *octavò* & locus ſæpe magnum confert momentum ad victoriam. Quare quoque hic eſſe providum, & talem (niſi caſus & fortuna omnem eligendi libertatem præripuerint) ſuo propoſito deſtinare oportet, ut vel ex commoditate loci bona ſpes ſecuri ſucceſſus erigi poſſit. *Amplius*, ſiquidem, *prodeſt locus, quàm virtus*: ceu inter regulas bellorum generales notat Vegetius *de Re militar. lib. III. cap. 26.* Eximiæ prudentiæ hic exemplum dedit Datames, inter excellentes Imperatores Cornel. Nepoti recenſitus; quando locum elegit talem, qui neque circumiri ab hoſtibus, neque præteriri poſſet, quin ancipitibus locis premeretur adverſarius: & ſi dimicare cum eo vellet, non multum obeſſe multitudo hoſtium ſuæ paucitati poſſet. Hac re fretus Datames conflixit, adverſariorumque multa millia (quanquam ſecum non habebat, comparatione cum exercitu hoſtili facta, vigeſimam militum partem) cæcidit. Sic ſemper inferior copiis, ſed ſuperior omnibus præliis, diſceſſit: quoniam nunquam manum conferebat, niſi cum adverſarios locorum anguſtiis clauſiſſet; id quod perito regionum, callideque cogi-

Digitized by Google

cogitanti ſæpe accidebat. Ex hoc fundamento petitum quoque eſt conſilium admodum ſalubre, & propterea valde gratum, Parmenionis, peritiſſimi inter duces artium belli, Alexandro M. Regi ſuo, prudenter conſulentis: illi cum exercitu circa urbem Iſſon inter anguſtias ſaltus uſque dum permanendum eſſe, quod non alium locum prælio, forte futuro, aptiorem eſſe cenſeret: planitiem enim ipſis camposque eſſe vitandos, ubi circumiri, ubi ancipiti acie opprimi poſſent; illic autem utriusque regis copias numero futuras pares, quum anguſtiæ multitudinem (ſcilicet hoſtium) non caperent. *V. Curt. lib. III. c. 7.*

Eſt autem hic quoad locum duplex conſideratio neceſſaria: nam vel particularibus belli actibus quæritur locus, vel toti negotio; quo poſteriori caſu de ſede belli cura eſt. Hinc inter politicos ventilatur quæſtio: utrum hoſtem domi exſpectare; an verò exercitum in ipſius ditiones deducere conſultius ſit? Sanè in genere rem perpendendo, intra hoſtis territorium bellum gerere, longe conducibilius eſſe videtur. Ceu etiam Cyro, Perſarum, ob rationes conſideratione certè dignos (re ſcilicet militari bene compoſita) placuit, quando ad Cyaxarem, in cujus ditionibus exercitum ſuum, contra hoſtem deducendum, poſuerat, teſte Xenophonte *lib. III.* de Pædia ejus, ita dixit: *Nobis videtur omnibus, quandoquidem parati ſumus, non tum demum pugnandum*

eſſe, cum hoſtes in agrum tuum impetum fecerint: neque in amica regione ſedentibus hoſtes eſſe exſpectandos, ſed in illorum potius regionem primo quoque tempore eſſe irruendum. Nunc enim cum in tua ſumus regione, magnum rebus tuis, vel inviti, detrimentum inferimus: quod ſi in hoſtilem eamus terram, res eorum quam libentiſſimè damnis afficiemus. Præterea abs te ipſi nunc alimur, magna tua cum impenſa: at ſi adverſus hoſtes eduxerimus exercitum, ex illorum agro alimenta capiemus. Et paulo poſt: *Multo profecto præſtantioribus robuſtioribusque utemur militum animis, ſi eamus adverſus inimicos, neque inviti hoſtes aſpicere videamur. Longè etiam illi magis nos metuent, ubi audierint, nos nequaquam, ſui tanquam terrore exanimatos, domi ſedere: ſed poſteaquam eos ſenſerimus advenientes, & ipſis occurrere quam celerrime manum conſerturos, & minime exſpectare donec noſtra regio detrimentum patiatur, ſed antevertentes potius vaſtare jam illorum ſolum.* Quid autem interſit, etiam hoſtium animos metu affligere, & contra ſuorum fiducia firmare, & in ſequentibns eleganter docet. Sed quia circumſtantiæ ſæpe multa impedimenta objiciunt, itaque hoc dubium quoad ſedem belli Principis prædentiæ, pro præſentis ſtatus natura ac conditione determinandum, relinquatur.

Sed

Sequitur jam ultimum, quod circa conſilium notandum duxi, nempe diviſio. Eſt autem duplex conſiliorum genus; alterum rectum, alterum obliquum. Nam eadem ratione, ut prudentia togata, alia invenit conſilia ordinaria; alia extraordinaria, in flexuoſa & arcana agendi ratione poſita: ita etiam militaris ſuppeditat conſilia, partim communia, partim etiam callida, obliqua & occulto modo peragenda; qualia hic vocantur Stratagemata, perinde ut illa prudentiæ togatæ ad rationem ſtatus referuntur. Stratagemata autem, antiquis etiam temporibus, conſiliorum nomine veniſſe, colligo ex iis, quæ Tacitus de Germanis refert: *Cedere loco, dummodo rurſus inſtes, conſilii quàm formidinis arbitrantur.* Omni tempore magnus eorum fuit uſus.

Sed cum in ſimulatione & diſſimulatione, adeoq; dolo & fraude quadã fundata ſint, dubitatur, utrum iisdem uti liceat? Permittunt quidem hæc, tum politicorum ſanæ rationes, tum quoque utiliſſima ubique praxis; ut eorum inventio ſæpe in magna autorum laude ponatur: ſed in quantum concedant, eſt addendum. Niſi enim hæc requiſita adſint, prorſus rejiciuntur: (1.) ſubſit juſta belli cauſa; Vid. *Forſtner. Not. polit. ad Tacit. Lib. IV. Annal.* Nam *ea, quæ ad finem ducunt* (inquit Grot. de Jur. Bell. & Pac. Lib. III. cap. 1. §. 2.) *in morali materia æſtimatio-*

 nem

nem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine. (2.) Fides inviolata ſervetur, ſive juramento, ſive nudis tantummodo verbis confirmata: nec quid ſenſeris, ſed quid dixeris, in fide eſt obſervandum. Cujus eximium dedit exemplum Marcus Attilius Regulus, Conſul Romanus, primo bello punico a Carthaginenſibus per inſidias captus: qui data fide miſſus eſt ad Senatum Romam, ea conditione, ut niſi redditi eſſent Pœnis captivi quidam nobiles, Carthaginem rediret: & cum captivi ſunt retenti, fidem frangere nefas duxit, quamvis non ignoraret ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & exquiſita ſupplicia proficiſci: ut late hanc hiſtoriam conſcribit Cicero *Lib. III. Officior.* Aſt quot exſtant caſus, quibus olim & hodie belligerantes fracta fide ſe invicem callidis conſiliis deceperunt? Sed & quæ afflictiones ac vindictæ divinæ acerbitates temerariam ejusmodi fidei violationem ſubide ſequantur, multa exempla veterum, & non minus quotidiana experientia, abunde conteſtantur (3.) Neque etiam alia occaſione jus gentium violetur; quod fit, quando, vel veneno arma inficiuntur, annona, aqua, aer, corrumpuntur, vel occulti percuſſores ad hoſtem interficiendum adornantur.

Adductis omnibus, quæ ad conſilia bellica notare propoſitum erat; reſtat, ut ipſum actum contemplemur. Huc refero duo: 1. Qualitatem; 2. Diviſionem. Qualitas autem

tem potiſſimum reſpicere videtur, tum facta, tum verba. Quod facta attinet, Principis prudentiæ imprimis commendatum ſit, ne modum excedat, ut enormi crudelitate nobilis fiat. *Eſt enim hominum natura*, inquit Cicero Lib. III. Officior. *quam ſequi debemus, maximè inimica crudelitas.* Quamobrem in Principum memoria fixam ſedem habeat hoc monitum, ut ab incenſionibus & omnis generis vaſtationibus ſupervacaneis, ad quas hodierni bellatores admodum faciles ſunt (in perniciem, ut putant & prætendunt, hoſtis) abſtineant. Nam *etiam arbores, urbibus obſidione cinctis proximas, ſuccidi vetant ſacra pagina, quia ligna ſunt, non homines, nec hoſtium numerum augere poſſunt.* V. hæc & alia huc facientia apud Saavedram *Symbol. XCVI.* Habere autem videtur hanc ſuam ſententiam ex *Deuteron. cap.20.* Verba ſunt: *Quando obſederis civitatē multo tempore, & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci poteſt, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem; quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum. Si qua autem ligna non ſunt pomifera, ſed agreſtia, & in cæteros apta uſus, ſuccide, & inſtrue machinas, donec capias civitatem, quæ contra te dimicat.* Videatur Sigonius de Rep. Hæbræor. Lib VII. cap. 9. Ex hinc

etiam colligendus eſt quidam belli gerendi modus, obſervatione dignus: ex ratione enim univerſali ſubdita patet, non Hebræis ſolum, ſed & nobis eſſe præſcriptum. Quam infelices eventus nimiæ ſævitiæ ſemper ſuccedunt, experientia ſatis docet. Sed *uti ſtatus, ita & belli ratio Principibus Ducibusq; noſtri ævi perpetuò in ore eſt; qua pleraq; crudelitatis & injuſtitia famam incurrentia, aut commendant, aut excuſant*; ceu teſtatur Forſtnerus *Not. polit. ad Tacit. Annal. XIII.* Imitentur potius bellici Imperatores eximiam, & in negotiis belli utiliſſimam, Ageſilai Lacedæmoniorum prudentiam: qui eam ſic ſatis felici ſucceſſu *ſtuduit, ut non ſolum vi hoſtes caperet, verum & humanitate pelliceret*: teſte Xenophonte *in Orat. de hujus Ageſil. laudibus.*

Progrediendum jam ad verba; circa quæ Princeps non minus ſuos ſuorumque affectus prudenter moderari debet, ut a minis pariter ac injuriis in hoſtem effundendis abſtineatur. Nam ut minæ providum, ita contumeliæ ferocem, & vindictæ cupidum hoſtem reddunt. Quoties itaque Princeps ſuis permittit hoſtem ejusmodi minacibus, vel etiam injurioſis, verbis excipere, toties in eo providentiam augeri, & iram (quæ dicitur cos fortitudinis) ad majorem dimicandi potentiam excitari curat; ſed cum magna imprudentia. Extra prælia potius humaniter eſt tractandus,

dus, ne ipſi temere noſtri incommodi cauſa ſimus.

Actus qualitatem ſequatur ipſius diviſio. Nam varia ſunt actuum revera bellicorum genera. Huc pertinent velitationes, quando particulares copiæ ſibi obviantes committuntur; item prælium, quod dicitur, quando integri exercitus congrediuntur; obſidio; oppugnatio urbium, & defenſio; quo & referantur eruptiones, quas interdum obſeſſi in obſidientes faciunt: & quæ ſunt hujus generis aliæ actiones. In hiſce omnibus circumſpectè & prudenter verſari oportet. Ut prælium, ita & obſidio facile non ſuſcipiatur; niſi loci ſitus, munimenti & militum obſidendorum conditio, civilium etiam animorum habitus, item annonæ, & eorum, quæ hiſce caſibus ad defenſionem neceſſariò requiruntur, indigentia, vel aliæ cauſæ ad hoc propoſitum invitent, & magnam expugnationis ſpem exhibeant. Sæpius enim hac occaſione totius exercitus vires ex improviſo, præſertim ſi temerario impetu res geſta, ita ſunt attritæ, ut eas, niſi fortè cum maximo Principis incommodo, reficere admodum difficile fuerit. Præterea & utilitas, licet tandem ad ſcopum perveniatur, interdum impenſis, labore & tempore, huic negotio attributis, longè minor ſentitur. Cujus ejusmodi eventus, etiam noſtri ævi, hoc omne ſatis confirmant.

Reſtat inter concomitantia quartum & poſtremum membrum; quod eſt ipſum agens, ſive cauſa efficiens: pars hujus capitis egregia ſane, & conſideratione digna. Ut autem ordine quodam procedamus, ſecanda hæc eſt in *Principalem & Inſtrumentalem*. Principalis eſt illa, penes quam bellica negotia dirigendi facultas reſidet. Atque agit in re, vel ſua, qualis eſt is, cujus auſpiciis bellum geritur, quique maximè principalis eſt; vel aliena, quo pertinent ſocii, qui auxiliarem operam alteri conferunt. Circa illum, qui in re ſua præcipuum agens eſt, hoc unicum impræſentiarum veniat perpendendum, quali utatur fortuna, ſive, vt Chriſtiano magis more loquamur, quales divina providentia conſiliis & armis ipſius det ſucceſſus. *Magnam vim eſſe in fortuna* (ſunt verba Ciceronis 2. offici.) *in utramque partem, vel ſecundas ad res, vel adverſas, quis ignorat: & cum proſpero ejus flatu utimur, ad exitus pervehimur optatos; & cum reflavit, affligimur.* Mirum enim in modum hæc, ubi vim ſuam exſerit, omnia dirigit, ac ad certum eventum parat: quem cauſa agens vel ante intendebat, vel vero ſibi è diametro adverſum ſentit; interdum etiam ſua intentione (imo & virtute) longe majorem experitur. Hinc Jul. Cæſar recte ſtatuit: *Multum quum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna poteſt*: atqui ex re quadam geſta tandem ſic concludit:

dit: *Hic, quantum in bello fortuna poſſit, & quantos afferat caſus, cognoſci potuit:* Lib. VI. de Bell. Gallic. Ut vel hinc videre liceat, tum in aliis, cum primis vero in bello, fortunam quàm plurimum poſſe: & felix eventus ſæpius huic, ut in exigua vel nulla parte prudentiæ humanæ, ſit adſcribendus. Imo quamvis Princeps non ſit adeo in actibus ſuis, mediocriter diſpoſitis, infelix, tamen indiget ſæpe fortuna ad ſupplendos providentiæ, quæ in homine eſſe debet, defectus. Interdum quidem negotia ſic ſatis prudenter inſtituuntur, ſed deficiente hac Dea (qualem ethnici fingebant) tamen infeliciter ſuccedunt: interdum vero alia ratione hæc ſeſe habent. Atque ut fortunæ ſecundæ grati eadem utentibus contingunt effectus; ſic adverſa econtra acerbas ex ſe producit conſequentias: quippe diſcordias interdum parit inter ipſos communis fortunæ participes; ceu teſtatur, & exemplo oſtendit Tacitus *Lib. IV. Hiſtoriar. cap.* 37. item conſilium adimunt res adverſæ, quemadmodum idem obſervat *Lib. XI. Annal. cap.* 32. & quæ alia inde eveniunt adverſitatum, infortunatos affligentium, genera. Denique hoc loco obſervandum, quod extraordinarius hic fortunæ favor Principi alicui addictus, vim ſuam etiā ſæpiſſimè extendat ad actiones eorum, qui ipſius nomine tanquam inſtrumenta agunt; ut illud ex ſucceſſu expeditionum civilium quotidie

tidie manifeſtum eſt. Hac quoque experientia fretus Parmenio, utut res quædam ex improviſo accidens animum illius, inſidias ab hoſte timentis, turbaſſet, nihilominus intentionem ſuam exequi ſtatuit; felicitati Regis ſui confiſus. Vid. *Curt. Lib. III. c. 13.*

Porro circa cauſam ſociam notandum hic eſt vinculum, quo ſocii principali ad opem ferendam ſint juncti. Nam Principis, & hoc diligenter ſecum examinare, apprime intereſt; ut noverit, quid ſibi de ſociorum auxilio atque conſtantia polliceri poſſit. Niſi enim fundamentum perſpectum ac cognitum habeat, nec amicitiæ, hoc velut fulcro nitentis, natura patere ipſi poteſt. Sic Henricus VII. Angliæ juxta belli animo agitati objectum (quod tunc temporis erat Carolus VIII. Galliæ Rex) etiam vicinos ſuos & ſocios omnes exquiſitam in conſiderationem vocavit, & hinc, quid commodi vel incommodi ſperare poſſet, tanquam conſultatum indubitatum neceſſarioque ſequendum, prudentiſſime collegit: ceu eleganter notat Verulamius in Hiſtoria Regni hujus Henrici. Eſt autem ejusmodi vinculum, principes hunc in finem colligans, quo ſe ad determinata officiorum invicem exhibendorum genera ſtricte obligarunt; vel propinquitas ſive ſanguinis ſive affinitatis; vel beneficium in ſimili caſu exhibitum; vel cæteris omnibus deficientibus humanæ naturæ communio, teſte Grotio *de*

Jur.

Jur. Bell. & Pac. Lib. I. cap. 5. Quippe inter quos non exiſtit fœdus, nec alia quacunque ratione arctior colligatio, eos ſaltem conſtringit communiſſima illa humani generis amicitia. Sed & quandoque utilitas, aut futuri mali metus, ad arma ſocia offerenda commovent illos, qui aliàs, vel viribus impares, vel animi vitio ſe eo impelli non paterentur. Denique ut ad ſuccurrendum alteri quamplurimæ rationes exiſtunt; ita omnibus caſibus (quod omnino notandum) juſta belli cauſa ſubſit pro eo, cui auxilium deſtinatur.

Pergo ad cauſam efficientem belli inſtrumentalen: quæ vel animata eſt, vel inanimata. Utraque meretur hic bene conſiderari; ſed prius & quidem diſtincte de illa. Atque complectitur inſtrumentalis animata, tum homines militares, tum animalia, ut equos, quorum uſus in bello imprimis neceſſarius eſt. Milites quod attinet, ſunt illi in duas claſſes ſeparandi: nam aut ſunt officiarii, aut gregarii. Inter officiarios conditione & dignitate eminet Imperator bellicus, tanquam ipſius cauſæ principalis ſive Principis Vicarius. Cum autem propterea hujus officium ſit ampliſſimum, & maximæ conſiderationis, itaque prolixius quoque de eo, ut ſummo totius exercitus capite, agendum eſt. Nam inter effectum & cauſam talis eſt connexio, ut illius perfectio ab hujus qualitate & nobilitate dependeat. Quem verò ab Imperatore ſuo bellico

lico deſiderat effectum Princeps; eſt ſane in momenti cumprimis magni. Eximiam olim in hoc negotio Germani oſtenderunt prudentiam; quam profecto in tali ſimplicitate, absque omni doctrina aliisve beneficiis, naturalem bonitatem adjuvantibus, ſumme admireris. Notat enim Tacitus Libro, quem circa mores eorum conſcripſit, *cap. 7.* illos duces ſuos ex virtute ſumpſiſſe, ut exemplo potius, quã imperio, ſi prompti, ſi conſpicui, admiratione præeſſent: Speciatim vero de Cattis teſtatur *cap. 30.* illos ſcilicet, *quod rariſſimum, nec niſi ratione conceſſum, plus reponere in Duce quam in exercitu.* Eadem de cauſa quoque Philippus Macedo, ut prudentiſſimus belli Dux, dicere ſolitus eſt: *Meliorem eſſe exercitum cervorum, Duce leone, quam leonum exercitum, Duce cervo.* Sed quoties iſthæc prudentia negligitur! attamen non ſine imperantis & reipublicæ malo. Ut autem Imperator bellicus ſit ſuo muneri par, notanda ſunt circa ipſum quædam attributa, eaque vel interna, vel externa.

Interna reſpiciunt tum animum, tum corpus: & quidem hoc, ſi ſit ſpectabili forma donatum, ad autoritatem & venerationem in militibus, præprimis infimæ ſortis, concitandam multum facit: minimum autem adſit valor, quantus functionibus imperatoriis ſufficit. Verum plus in animo Ducis bellici eſt poſitum: conſiliis enim potius (ſicut vel no-

men

men Imperatoris indicat) quam manu agit. Quapropter Otho Imperator in oratione ad ſeditioſos milites non ineleganter dicit: *Vobis arma & animus ſit; mihi conſilium & virtutis veſtra regimen relinquite*: teſte Tacito *Lib. I. Hiſtor. cap. 84.* Ut autem animus ita ſit comparatus, quemadmodum officii hujus ratio exigit, deſidero in eo ſcientiam militarem, & virtutem. Quæ duæ animi perfectiones eò usque ſint invicem connexæ, ut altera absque alterius cooperatione hic nihil laudabile efficere poſſit. Atque ſcientia illa ſit ſuffulta, primò dotibus ingenii naturalibus; deinde maximis ſive univerſalibus regulis, ex bonis autoribus hujus argumenti petitis, tum etiam experientia rerum militarium, vel ex hiſtoriis, vel cumprimis ipſis actionibus acquiſita; denique adminiculis quibusdam, imperatoriæ arti egregiè inſervientibus.

Refero autem inter adminicula Fortificatoriam, Pyrobolicam, Tacticam, atqui Geographiam: quorum omnium cognitione intellectus, ſi penitus non imbutus, ſaltem leviter ſit tinctus; quatenus ſcilicet ipſius Ducis imperio ſerviunt. Præterea & adminiculis annumero notitiam accuratam, tum hoſtis (perinde ferme, ut in Principe requiſivi) tum quoque ſuorum: item & prudentiam in legibus exercitui præſcribendis, vel caſibus pœnam aut aliam ſententiam exigentibus, dijudicandis; vel militibus annona pro-

vi-

videndis & omni ratione conſervandis, ne-
ceſſariam.

Acri vero animadverſione dignum, quando cura, quam de conſervatione corporum militarium habere oporteret, tam perniciosè negliguntur. Siquidem militibus, perinde ut aliis hominibus, ſunt corpora phyſica, corruptioni obnoxia, quæ, niſi ſalubri cibo ac potu ſuſtententur, aliisque ad vitæ uſum neceſſariis provideantur, paulatim enervantur, adque functiones bellicas inidonea fiunt, ac contagioſis morbis contractis tandem miſerè pereunt. Sed hac in parte, ſive Ducum bellicorum imprudentia oſcitantiaque, ſive alia animi vitioſitate, cum totius exercitus interitu, adeoque ingenti ipſius Principis diſpendio, interdum peccatur.

Sequitur altera animi perfectio in Imperatore conſideranda, nimirum Virtus. Quam facio duplicem, divinam & humanam. Et quidem illa in pietate conſiſtit ; quam hic ſaltem (ut ea, quæ ſunt fori Theologici omittam) propterea requiro, quoniam opinio de ducis pietate animos hominum, cum omnium, tum imprimis vulgi militum quoque afficere, & fiduciam, amorem, ac reverentiam quandam excitare ſolet. Quippe vera pietas reconditam quodammodo videtur habere vim commovendi venerationem aliqualem, etiam in illis, qui alias ejusmodi vitam probam non amant.

Hu-

Humana virtus generatim in concinna quadam affectuum ad rationem compoſitione ſita eſt. Unde Cicero Lib. I. officior. admodum pulchrè dicit: *Efficiendum eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant; neque propter pigritiam, aut ignaviam deſerant.* Utrumque ſane in Imperatore eſt obſervandum: cum ſubinde, tam contra hoc, quam illud committi videamus. Quoad exceſſum occurrit exemplum Minutii, in exercitu Romano equitum magiſtri, ferocius ſuo tempore quam conſultius rem gerentis; ut teſtatur *Liv. Lib. XXII. c.23.*

In ſpecie verò circa belli ſummum moderatorem nota, induſtriam in omnibus adhibendam; tolerantiam conſtantiamque in adverſitatibus; ac denique in ipſis periculis fortitudinem. Quibus addi debet juſtitia particularis, tam diſtributiva, quam commutativa. Et quidem eam hic adeſſe volo, ut præmia, quo etiam refero officia, juſte diſtribuantur, & in dignos ac benemeritos conferantur: pœnæ vero delinquentibus absque omni animi perturbatione injungantur. Beneficiis enim, ut decet, amor, & exquiſita diſciplina militari autoritas reſpectusque conciliantur. Sed hac & illis ſimul exercitus in officio continetur, atque conſervatur. Imo qui pœnas & præmia tanta cura ac ſtudio diſpenſant, merito, quoties bella ſuſcipiunt, læto & illuſtri fine, ſecundum opinionem Polybii, ea terminant;

nunt; *de Milit. & Caſtramet. Rom. Rom. Cap. de Pœn. maleſ. & Virt. proem.* Sed & illam denique requiro, ut actiones inter milites in militari judicio agitatæ recte dijudicentur; ut fides ab Imperatore Principi data, juramentoque confirmata, in nullo obligationis puncto violetur; & cuique militum ſtipendium non detineatur. Niſi autem ea omnia, quantum in ipſo eſt, bene obſervaverit dux, ob neglectam juſtitiam ſimultatem, ob violatam fidem perjurium, & ob inique ſuppreſſum ſtipendium acerbiſſimum omnium odium in ſe devolvit. Ita quoad ultimum exceſſum, Trebellius Maximus per avaritiam & ſordes exercitui, cui præpoſitus, contemptus fuit atque inviſus: ut Cælius quoque ipſi ſpoliatas & inopes legiones objectarit: teſte Tacito *Lib. I. Hiſtoriar. cap. 60.*

Hinc de attributis externis: qualia ſunt, ſecundum politicos, Felicitas & Autoritas. Sane quod felicitatem attinet, videre licet in actionibus quorundam hominum latentem aliquam vim, eas oppido vel promoventem vel remorantem: quorum illi ſecunda, hi vero adverſa uti fortuna dicuntur. Quare & Principi attendendum eſt in eligendo vicario ad bellum, ne cui has partes demandet, qui quarta (ut dicitur in proverbio) luna natus, aut domi equum Sejanum habet. Sunt enim quidam adeo infelices, ut nullum in rebus agendis fortunæ favorem ſentiant; aliis econ-

tra tanta felicitate res ſuas agentibus, ut quicquid, interdum etiam ſupra ingenii vires, feliciſſime ipſis ſuccedat. Ad priorem claſſem referendus Bartholomeus Alvianus, cui nihil ad manum ſucceſſit præter ſtrages & fugas, & cædes, ut notatur de ipſo apud *Gaſp. Ens Theſaur. Polit. Apotel.* 1. Item Petrus Stroſſa, vir excellenti (ſicut apud eundem obſervatur) virtute & rara prudentia præditus, ſed occulto quodam irati cœli odio ita infeſtatus, ut ex multis rebus, quas aggreſſus, vix ulla felicem exitum nacta ſit. Econtra Marius, Conſul Romanus & Imperator in expeditione adverſus Jugurtham, Numidiæ Regem, conſtitutus, tanta uſus eſt felicitate, ut etiam ſupra prudentiam humanam ſuſcepta negotia, præter omnium ſpem & opinionem, feliciter perduxerit; imo ejus temeritas, hac ratione correcta, ex culpa (ceu obſervat Salluſtius) gloriam invenerit.

Sed & autoritas cumprimis etiam duci bellico adſit: conſiſtens in exiſtimatione ſive opinione, quam milites de ejus virtute & meritis fovent. Hæc autem eſt quaſi anima mandatorum ad milites factorum: quæ, niſi autoritate mandantis munita ſint, facile contemnuntur. Ut vehementer illam augent generis nobilitas, ætas matura, corporisque & multo magis animi dona, ac virtutum excellentia; ita non minus conſervant ingenua militum, Officiariorum ſimul & gregariorum,

benevolentia, ac grata bellicorum actuum
prudenter & feliciter inſtitutorū, continuatio
Atqui hæc de Imperatoris militaris qualita-
tibus ſufficiant.

Cæterorum Officiariorum requiſita pro
cujusque officii natura ac conditione haud
ſegnius Principi in eligendis illis ſunt conſi-
deranda: ſed non eadem (ut hic brevior ſim)
prorſus ratio eſt obſervanda. Quippe in aliis
major prudentia militaris exigitur, in aliis
minor: in omnibus tamen aliqua; cum ve
minimus horum, quod illi committitur, ſine
qualicunque experientia, præſertim ſi forte a
a ſuperiorum ſuorum prudentia remotus, ex
pedire non poſſit. Interim omnes ſplende-
ant virtutibus moralibus, vel in univerſum
omnibus tanquam viri boni, maximè vero
iis, quæ officialem, quatenus talem, decent
Temperent autem ſibi imprimis a violation
fidei, ſuo principali datæ, & avaritia: illa De
um & Principem ſuum, hac verò miſeros mi
lites, quibus debitum ſalarium variis rationi-
bus ſubtrahitur, offendunt.

Cum milites ſupra in officiarios & gregari-
os diviſerimus, atque hactenus de officiariis
pro inſtituti ratione ſatis actum ſit: reliquum
eſt, ut & de gregariis porro aliquid dicatur
Sunt enim & in his quædam requiſita ad in-
tentionem, cui ſunt deſtinati, obtinendam o-
mnino neceſſaria & quidē alia circa delectū
alia verò poſtea in militibus jam conſtitutis

Prin

Principi haut negligenda. Ut delectus debitè adhibeatur, e re erit ad ſequentia præcipue attendere: (1) eſt *patria*; cujus ratione magnum inter homines ad militiam eligendos, eſt diſcrimen. Nam quælibet regio ſuis incolis communicat peculiares qualitates, a natura & ſitu loci, aëre, aliisque contractas. (2) Eſt *ætas*: quam quidem determinare non exiſtimo opus eſſe, cum noſtris moribus circa hanc adeo curioſi non ſimus; modo ſit vegeta & laboribus bellicis non impar. (3) Eſt *corpus*; quod ſit ſiccum potius quam flaccidum, & uſu induratum. Quare proderit hic perpendere quoque vitæ rationem; qua corpora, velut conſuetudine, vel indurantur, vel emolliuntur. (4) *Animus* cumprimis eſt conſiderandus. Hic maxime ſufficit audacia; cui addi poteſt gloriæ cupiditas, tanquam ad præclara facinora ſtimulus. Atque audacia poſtmodum a prudentia officiarii formam & moderationem accipit. Ut hinc Antonii ſententia non ſit incongrua, quando ſtatuit *diviſa inter exercitum Ducesque munia: militibus cupidinem pugnandi convenire, duces providendo, conſultando, cunctatione ſæpius quam temeritate prodeſſe*: ut habetur apud Tacitum *Lib. III. Hiſtor. cap. 20.* (5.) *Status & vitæ conditio* quoque eſt attendenda. Nam Romani non infamem, non ſervum, non tur-

 pi

pi arti deditum, non luxus aut libidinis mancipium, nec ignavum; ſed honeſtum, promptum, & obſequentem, in numerum militum allegebant; ut teſtatur Loccenius *de Period. Imp. Lib. IV. cap. IV.* *Honeſtas enim* (teſte Vegetio Lib. I. de Re militar. cap. 7.) *idoneum militem reddit. Verecundia, dum prohibet fugere, facit eſſe victorem.* Hinc quoque Verulamius cenſet: *Pedites, ut fortes & bellicoſi evadant, opus eſt, ut in conditione aliqua, non ſervili aut inopi, ſed libera & copioſa degant:* in Hiſtoria Henrici VII. Angliæ.

Hodie autem illa exquiſita cenſura adeo deſpicitur, ut ex fæce plebis & peſſimorum hominum colluvie vel integri exercitus, imprudenter & in rei militaris magnum decrementum, colligantur. Hinc tot flagitia, rapinæ, cædes illicitæ, vitiationes virginum violentæ, aliique pene innumeri diſſolutorum morum exceſſus contra jus naturæ gentiumque, contra ſuorum ſuperiorum mandata & autoritatem commiſſi. Atque ut ejuſmodi mali homines in hiſce excedunt, ita in obſequio erga ſuos officiales, & animoſitate contra hoſtem ſæpe deficiunt. In quibus enim non ineſt pudor, nec deſiderium honoris, ii neque petulantiæ ſuæ finem ponere norunt, atqui præcipuo ad pericula aut alia quævis moleſta, promptè ſubeunda, ſtimulo deſtituuntur;

antur ; ut potius nocivi, quam utiles adjutores domino ſuo, ſubditis vero perquam graves exiſtant. Conferantur huc, quæ Socrates eleganter de gloriæ cupiditate in milite diſſerit ; apud Xenophontem *de Fact. & Dict. Socrat. Lib. III. paſſim.* Duplici autem imprimis de cauſa noſtra praxis a Romanorum illa conſuetudine diſceſſiſſe videtur. Primo propterea, quia hodierni milites tam miſerè habentur, ut quilibet ingenuus ab hoc vitæ genere abhorreat. Deinde, quod negotium hoc collectionis militum, die Werbung/ quibusvis committatur, quaſi ſit vile & nullius momenti : contra quam Lipſius docet *Lib. V. Polit. cap. 12.* Hi verò non tam ad qualitates quàm numerum reſpiciunt, ſuique quam Principis ut plurimum ſunt commodi ſtudioſiores.

Nec prætereunda notabilis iniquitas ; quam hi homines apud nos in Germania hac occaſione perpetrant in eos, quorum operam ad bellum conducunt. Nam plerique contra voluntatem ſuam fraude vel vi ad hanc rem rapiuntur : cum tamen eorum conſenſus, quod ſit contractus, & quidem inter tales, quorum alter alteri abſque ejusmodi præeunte facto legitimo hic prorſus non eſt obligatus, etiam jure gentium exigatur. Hoc propterea hic annotare volui, quod manifeſto ſit contra juſtitiam ; adeoque in ipſo principio

tim Deum offendat, Principiſque actus hinc ſequuturos infauſtos reddat. Quamvis & adverſus prudentiam hac ratione oppido agatur, lædendo voluntatem & benevolentiam eorum, quos maximè oporteat addictos: ut tali modo læſi, neque Domino & cæteris ſuperioribus ſuis ſatis fideles exiſtant; neque etiam ſibi invicem in tanta animorum perturbatione; niſi cum motus contra ſua capita agitant. Atque quid Principis interſit, eorum animos benevolentia immota teneri, erga Principem, erga ſuos Duces, mediatè vel immediatè ſuperiores, ac denique etiam inter ſe, quotidianus nobis indicat uſus, atque hinc comparata experientia. Ut ſincera propenſione in præpoſitos officiales metus rebellionis (hiſce alias ſatis familiaris) eximitur: ita mutua animorum conſenſione, quam milites invicem foveant, robur in hoſtes valde augetur; ut etiam illam egregium quoddam fortitudinis incitamentum ſtatuere non vereamur.

Atque ita ſit miles conſtitutus, quando eligitur: poſtea verò imbuendus eſt quibusdam qualitatibus, in ipſo tanquam milite jam neceſſariis; quales ſunt: promptitudo tractandi arma, ſervandi ordines, & in operibus bellicis; obedientia parata erga ducem & officiarios ſibi præpoſitos (cujus fundamentum ſit reverentia ex amore filiali & metu compoſita)

&

& in genere bene ordinati affectus. Præſertim vero exercitetur in periculoſis, ut inde ſibi paulatim habitum apparentis minimum fortitudinis (quam Ethici experimentalem nominant) acquirat. Animoſitatem militum ſenſibiliter adaugent: (1) Opinio de ducis prudentia, in omnem occaſionem parata (2) ipſius felicitas; uno alterove caſu experta (3) victoria, præſertim aliquoties obtenta (4) juſtita armorum, ſive ſaltem opinio de eadem; hinc Poeta:

Frangit, & attollit vires in milite cauſa;
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor.

Circa ipſum actionis principium, ſive cum jam jam prælium ſunt aggreſſuri, quantam præterea exhibeat efficaciam congrua oratio ducis, habita quaſi in hoſtium facie, ad depellendam timiditatem, ex imminenti periculo congeſtam, & econtra fortitudinem animis militum ſuorum erigendam, abunde docet quotidiana praxis; ac cumprimis etiam rerum Romanis vel aliis populis olim geſtarum ſcriptores conteſtantur, ut apud quos ingentem ejusmodi orationum copiam invenire licet. Ceu quoque ex illis Taciti *Lib. II. Annal. cap.* 14. colligere eſt: *Orationem Ducis ſecutus militum ardor*: item cap. 16. *ſic accenſos & prælium poſcentes in campum deducunt.* Parem effectum poſt orationem

Suetonii ad milites, cum hoſte manus illo ſtatim momento conſerturos habitam commemorat idem Tacitus Lib. XIV. Annal. cap. 36. *Is ardor*, inquit, *verba ducis ſequebatur, ita ſe ad intorquenda pila expedierat vetus miles, & multa præliorum experientia, ut certus eventus Suetonius daret pugnæ ſignum.* Atque huc referenda eſt gravis oratio, qua Turnus ſuorum animos ad ſtrenuam pugnam accendere enixe molitur, apud Virgil. Lib. X. Æneid.

Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextra:
In manibus Mars ipſe, viri. Nunc conjugis eſto
Quisque ſuæ, tectique memor, nunc magna referto
Facta, patrum laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egresſisque labant veſtigia prima.
Audentes fortuna juvat.

Ab uſu magis remota ratio concitandi animoſitatem, olim Germanis noſtris cumprimis familiaris; uxorum videlicet & liberorum in bello præſentia: ſic ſatis tamen vehemens, & audaciæ proliciendæ apprime utilis; ut quasdam acies inclinatas & labantes a fœminis reſtitutas, conſtantia precum & objectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate, quam

quam longe impatientius fœminarum ſuarum nomine timebant; ceu inter mores eorum recenſet Tacitus *cap. 8.* ſimile de Germanorum moribus, illo tempore uſitatis commemorat Jul. Cæſar *Lib. I. de Bell. Gall.* Non autem potuit non Germanis præliantibus hinc maximum obvenire hortamentum; uxorum præſentium liberorumque pudicitiæ, libertatis, imò vitæ ipſius, periculum animo volutantibus. Erant enim hæc omnia in tanto illis æſtimio, ut vel millies ante vitam ſuam perderent, quam in hiſce bonis damnum paterentur. Ut adeo non communis tantummodo cauſa, quæ erat ſalus publica, ſed & cujusque privata, unumquemque tanto majori vehementia agitaret, quanto ardentiori deſiderio illud ſuum bonum conſervandi flagrabat.

Dixi ſupra efficientem inſtrumentalem, vel animatam eſſe, vel inanimatam; atqui de animata prolixe eſt actum; ſequitur ergo inanimata pauciſſimis expedienda. Huc referatur primo pecunia, tanquam nervus belli & inſtrumentum univerſale, quo omnia hic neceſſaria comparari poſſint. Confer Tacitum *Lib. II. Hiſtoriar. cap. 84.* Nec nos hoc loco moretur ſententia Machiavelli, pecuniam belli nervum non recte dici contendens, ut videre eſt *diſcurs. ad Liv. Lib. II. cap. 10.* Et hanc ſuam opinionem multis exemplis, ut Darii aliorumque, qui divitiis quidem ſuis hoſtibus

 lon-

Digitized by Google

longe ſuperiores, virtute militum fuerunt devicti, illuſtrare ac ſtabilire laborat. Aſſentitur huic Oſorius *de Reg. Inſtit. Lib. II.* Verum ſi rem ad hodiernam bellandi rationem conſideremus, præſertim in noſtris terrarum orbis partibus, ubi inter alia quoque viri fortes pecunia haberi poſſunt, haut abſone dixerimus hanc, ut principium vehementiſſime homines ad quævis etiam commovens, belli gerendi nervum.

Præterea quoque alia huc pertinent magis particularia, & vel ad ipſam belligerationem, vel alimoniam relata. Belligerationi inſerviunt arma omnis generis, item pulvis pyrius, & alia huc ſpectantia. Ad alimoniam refertur commeatus: atque hic, vel ad homines, ut cibus, potus; vel ad jumenta, ut pabulum pro equis. Niſi autem Princeps in hiſce omnibus, juſta qualitate & quantitate parandis quoque mature curam habeat, ſuam rem bellicam peſſime ſciat eſſe conſtitutam. *Sæpius enim*, inquit Vegetius, *penuria quam pugna conſumit exercitum, & ferro ſævior fames eſt. Deinde reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri, pabulatio & annona in neceſſitate remedium non habent, niſi ante condantur. In omni expeditione unum eſt & maximum telum, ut tibi ſufficiat victus, hoſtes frangat inopia. Ante igitur, quam inchoetur bellum, de copiis expenſisque ſe-*

ſolers debet eſſe tractatus, ut pabula, frumentum, cateraque annonaria ſpecies, quas a provincialibus conſuetudo depoſcit, maturius exigantur, & in opportunis ad rem gerendam ac munitisſimis locis amplior ſemper modus, quam ſufficit, aggregetur: de Re Militar. Lib. III. cap.3. Cæteroquin, *qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro;* teſte eodem *Lib. III. cap. 26.* Eodem recidit & illud, cum miſeri milites (vitio hoc noſtro tempore admodum familiari) ſalario toto interdum, vel magna ejus parte, inique defraudantur. Atque hinc Campanella bene obſervat *Lib. de Monarch. Hiſpan. cap. 15.* rebus ſcilicet Regis Hiſpanici nihil tam obfuiſſe in bello Belgico, quam quod milites ſalario ſuo fuerint fraudati.

Duabus jam partibus abſolutis, reliqua eſt tertia & ultima, quæ huic capiti finem imponat, nimirum conſequentia, ſive ea, quæ poſt bellum jam peractum ſequuntur. Et quidem primum punctum inter bellum & pacem eſt tractatio de pace. Poſtquam enim ſatis bellatum, regiones deſolatæ, opes impenſæ, ſanguis humanus in abundantia effuſus, terra hominibus denudata, & reliquorum res ad incitas redactæ; incipiunt de pace agere. Sed hic magna opus eſt prudentia in dijudicanda occaſione, qua pax vel oblata, vel ſaltem non

denegata, ſit amplectenda. Quippe negligunt ſæpe principes opportunitatem amicitiæ, huc usque ſuſpenſæ, revocandæ: vel felici hactenus armorum ſucceſſu elati, vel alias vana quadam ſpe commoti; eventu tamen præter omnem exſpectationem poſtmodum errorem detegente. Hinc quoque bene conſiderandum propoſuerunt Legati Archiducum ad Belgas fœderatos pro obtinenda pace, vel ſaltem induciis longioribus, primum fervorem belli interrumpentibus, expediti: magnam rerum humanarum eſſe viciſſitudinem, ancipitem & variam Martis fortunam, nusquam minus quàm in bello eventa votis reſpondere, & certam victoriæ ſpem ſæpe graviſſimis calamitatibus expiari: teſte Baudio *de Induc. Bell. Belgic. Lib. I.* Quare Principi autor ſum, ut ante fortunæ, periculoſis viciſſitudinibus ſubjectæ, mutationem de honeſta animorum reconciliatione tractare non recuſet. *Nam ſi prætermittimus* (ut dicitur apud Liv. Lib. XXIII. cap. 12.) *hoc tempus, quo magis dare, quàm accipere poſſumus videri pacem, vereor, ne hæc lætitia luxuries nobis ac vana evadat.*

Et ſi quædam portio regni hoſtilis in victoriæ obtentæ recognitionem ſorte obtigerit, caveat Princeps, ne duro & ſuperbo imperio novos ſubditos premat, atque hoc ipſo rebellionis alicujus cauſa ſit. Facillime enim e-

jus-

jusmodi imperandi rigore novo & inſueto animi ſubjugatorum in invincibilem acerbitatem, & hinc accenſam deſperationem ſæpe reſolvuntur. Quapropter bene notat Tacitus de Mithridate, ipſum fuiſſe atrociorem quàm novo regno conduceret, *Lib. XI. Annal. cap. 9.* Hac conſiliorum ratione quoque Belgium eſt adactum ad ſibi intolerabile jugum Hiſpanicum excutiendum: ceu Campanella manifeſte docet *Lib. de Monarch. Hiſpan. cap. 27.* Item Baudius *Lib. I. de Induc. Bell. Belgic.* extra omnem controverſiam ponit, non alio fonte originem omnium horum malorum eſſe derivatam, quàm intolerabili ſævitia Buſiridis illius Albani; quòd civibus ingenuis uſus ſit, tanquam mancipiis, bellica vi oppreſſis ac ſubjugatis. Eadem ratione Americani circa initium ſunt habiti ab Hiſpanis; in ingens tamen horum poſtmodum diſpendium; ut Campanella obſervat *cap. 31.* Nec aliam majorem habuerunt cauſam ac occaſionem Luſitani, ſe in libertatem priſtinam vindicandi, niſi Hiſpanici regiminis iniquitatem ſibi permoleſtam.

Quamobrem imperium in illos clementia eſt temperandum, quo hoc, velut fortiſſimo vinculo, voluntatem eorum nobis obligemus. Ut propterea rectè ſtatuatur apud Tacitum: *Novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama;* Lib. IV. Hiſtoriar. cap. 63.

Sed tamen illa clementia gravitate & prudentia ita eſt moderanda, ne ab altera parte contemptus vel ſimile quid imperii obſequiique nexum relaxet. Ut hinc eluceat, haut minoris momenti eſſe negotium, occupata conſervare, quam fuerit eadem occupare; juxta Poetam:

Non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri:
Caſus ineſt illis, hic erit artis opus.

Nam ad acquirendam provinciam fortitudine cumprimis opus eſt, & felicitate armorum eam concomitante; verum ad illam conſervandam exquiſita prudentia. Atqui hæc de prudentia militari dixiſſe ſufficiat.

CAP. VII.

DE

Obſervanda, vel etiam apparanda occaſione.

HActenus quidem ſparſim occaſionis mentio ſaltem eſt inſerta; ſed quia materia hæc elegantiſſima, politicisque admodum familiaris eſt, integrum hoc caput ei pertractandæ impendere operæ pretium eſſe duximus. Nam prudentem principem in actionibus ſuis temporis rationem omnino habere, ſuorumque negotiorum diſpoſitionem eidem

dem diligenter accommodare oportet. Eſt enim prudentiæ ſenatoriæ quoque articulus haut exiguæ conſiderantiæ, illud temporis momentum, quo negotii circumſtantiæ bene ad optatam expeditionem compoſitæ ſint, perfecte noviſſe; aut ſi opportunitas agendi deſit, aliquam apparare poſſe. Ob quam prudentiam Cattos egregie extollit Tacitus, quod ſcilicet intellexerint occaſiones; *Lib. de Morib. German. cap. 31.* Nam ut nulla actio ſine tempore perficitur, ita quoque rarius absque temporis commoditate, ad ſcopum illa pervenire contingit. Atque hinc quoque vero perquam conſentanea ſunt, quæ Forſtnerus ad Tacitum *Annal. XI.* obſervat: *Nunquam ſapius,* inquit ibidem, *ab imperitis & nulla rerum experientia ſubactis ingeniis peccatur, quàm cum, quæ ſemel facta geſtaque fortuna & felix exitus commendarunt, omni tempore fieri gerique credunt: ignari ſane non tam prudentia quam occaſione negotia confici; certe ſine hac illam parum proficere.*

Principio autem notandum eſt, vocabulum hoc non una accipi ratione: nam (1) Poetæ occaſionem Deam finxerunt, rerum agendarum opportunitati præſidentem. (2) Concipitur etiam ut cauſa impellens, quia bona occaſio ad agendum ſæpe invitat; unde & in communi proverbio dicitur; *occaſio facit fu-*

rem. Atque inter alia occaſio, quod arma Romana, in extremis finibus mundi peregrinabantur, ad nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ Catilinam compulit; ceu Florus circa hoc bellum Catilinarium notat. Huc quoque pertinent ea Saavedræ, quæ ex communi obſervatione notavit Symbol. LIX. *Opportunitas*, inquit, *occaſionum, mediorumque facilitas oculos rapiunt, & animos principum, ut ne videant quidem, non omnia, quæ obtineri poſſunt, eſſe appetenda.* (3) Denotat hoc loco tempus, non ſimpliciter & in ſe conſideratum, ſed quatenus ſtatum & conditionem perſonarum & rerum in tempore exiſtentium ſimul involvit: ceu ex iis, quæ Campanella *Lib. de Monarch. Hiſpan. cap.* 7. differit, facili negotio etiam colligere eſt. Atque in hac ultima acceptione definitur apud Gaſp. Ens *Theſaur. polit. part. II. Apotelesm.* 33. quod ſit *opportunitas quædam, fortuna magis, aut caſu oblata, quam prudentiæ beneficio quæſita, res noſtras bene gerendi, aut immature deliberata ſuſpendendi.* Alia & conciſiori ratione Ciceroni Lib. I. de Juvent. *Occaſio eſt pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.*

Eſt ergo hæc tam ſollicitè obſervanda, ut actio ſuſcipienda commodius ad felicem exitum

tum

tum perducatur: cum econtrà ea neglecta agentis propoſitum ſæpiſſimè fruſtranea & ſine ullo effectu evaneſcat. *Pauca ſunt negotia* (dicit Saavedra Symb. LXIV.) *quæ ingenium ſuperare non poſſit, aut occaſio paulatim & tempus faciliora non efficiat.* Atque Machiavellus in Principe ſuo Cap. 25. *Illum etiam felicem*, inquit, *exiſtimo, cujus in adminiſtrando conſilia temporum conditioni reſpondent: vicisſimque infelicem illum puto, a cujus rerum gerendarum procuratione tempora diſcrepant.* Apparet autem occaſio quam maximè in negotii gerendi partim objecto, partim etiam efficiente cauſa; nec non interdum in circumſtantiis loci, item & ipſius temporis, quatenus hoc res quandoque alio atque alio modo afficit. Hæc enim, ſi ad negotium futurum, animo comprehenſum, bene ſunt diſpoſita & conſtituta, dicitur hinc agenti occaſio facilius perveniendi ad ſuam intentionem offerri.

Et quidem quod negotii materiam attinet, requiritur omnino illius talis ſtatus ac conditio, ut in eam forma concepta imprimi poſſit. Unde Turcis egregia occaſio occupandi Imperii orientalis data fuit ab ignavia Græcorum Principum, & diſſidio, cum ab aliis principibus Chriſtianis, tum quoque inter ſe. Quippe ut vis unita fortior dicitur, ita in politicis ſocietatibus animorum diſſenſione in particulas

culas rupta ad reſiſtendum plane inepta eſt, & imminentibus tandem periculis ſuccumbit. Huc omnino ſunt referenda, quæ Tacitus obſervat de Bructeris, vicinarum etiam nationum conſenſu (ſeu ſuperbiæ odio, ſeu divino quodam in Romanos favore, excitato) pulſis ac penitus exciſis Libell. de Morib. German. cap. 33. *Maneat*, inquit, *quaſo duretque gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui: quando urgentibus imperii fatis nihil jam praſtare fortuna majus poteſt, quam hoſtium diſcordiam.* Sic & alia quam plurima ſunt illud, circa quod actio intentanda, ita afficientia, ut Principi inde occaſio & magna ſpes actionem propoſitam feliciter perficiendi ſuppeditetur: qualia ſunt ea, quæ recenſentur a Cicerone; Imbecillitas, inopia, ſtultitia, imprudentia, inapparatio; *Lib. II. Rethor. ad Heren.*

Econtra a parte agentis occaſio exiſtit, ſi adſunt vires, pecunia, conſilium, ſcientia, apparatio, aut ſimile quid, cujus adjumento negotium ad perfectionem ſuam perduci poſſit. Quare omni illi, qui prudenter ſuas res agere deſiderat, incumbit, ſtatum etiam ſuum, & ejus, in quod acturus eſt, ante diligenter examinare, ut ſi quid hic vel illic, quod intentionem moraturum ſit, deprehenderit, potius actionem in optatiorem temporis commoditatem ſuſpendat. Quod pro ea, qua pollebat,

bat, prudentia, cum ſumma laude obſervavit Q. Fabius Maximus, Dictator Romanus, adverſus Annibalem, quum acie cum eo confligere nolebat, ne contra ferocem tot victoriis hoſtem territum adverſis præliis militem pugnæ committeret: ſed opponendo ſe tantummodo conatus Annibalis prudenter impedivit. Videatur Florus *Epit. Hiſtor. Lib. XXII.* Idem Jugurtam præcipuè commoviſſe ad id, ut animum in regnum Atherbalis intenderit, certum eſſe videtur ex illis, quæ de utroque commemorat Salluſtius, quando ſcribit: *Ipſe* (ſcilicet Jugurtha) *acer, bellicoſus: at is, quem petebat, quietus, imbellis, placido ingenio, opportunus injuriæ, metuens magis, quam metuendus.* Adeo magni momenti eſt, diligenter animadvertere ſtatum atque conditionem eorum, quæ rei gerendæ ſunt innexa.

Verum & circumſtantia loci, atque etiam temporis, quandoque hic non exiguam vim conferunt. Hinc ratione loci conſilium haut aſpernandum ſuggerit Imperatori bellico Onoſander Commentario ſuo de re militari, nempe ut in tali caſu, quando hoſtes equitatus viribus ſuperiores ſint, capiantur, ſi fieri poſſit, loca aſpera atque anguſta, & montibus propinqua, ad equitandum minimè idonea: aut præliando imperator tergiverſetur, usque dum oportuna loca, & rebus ſuis congruentia,

tia,

tia, nanciſcatur. Qua regula prudenter ſimul & utiliter uſus eſt Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, quando, cum hoſtes equitatu ſuperare videret, nunquam in campo ſui ſecit poteſtatem, ſed hiſce locis manum conſeruit, quibus plus copiæ pedeſtres valerent. Et viceverſa effecit Eumenes locorum præoccupatione, ut equitatu, quo plus valebat, potius dimicaret, quam peditatu, quo erat deterior. At imprudenter Arſanes, Ciliciæ præfectus, ſuæ occaſioni defuit, quum illam regionem ad Alexandri M. adventum igne ferroque vaſtavit, ut hoſti ſolitudinem facerent: quia vel ipſius Hiſtorici judicio longe utilius anguſtias aditus, qui Ciliciam aperit, valido occupare præſidio debuiſſet, jugumque opportune itineri imminens, obtinere; unde inultus ſubeuntem hoſtem, aut prohibere, aut ſupprimere potuiſſet. *V. Curt. Lib. III. cap. 4.*

Ad hæc quoque temporis ratio eſt habenda: quoniam & inde rei expediendæ commoditas vel major vel minor interdum dependere videtur. Nam multum intereſt, qua anni parte, V. G. obſidio aut ſimile quid ſuſcipiatur: item an interdiu, an noctu hoſtis adoriendus; aliquando enim occaſio impellit ad id, ut atra nocte impetus in hoſtiles copias fiat. Ex hoc fundamento eſt deſumptum conſilium periti illius Macedonum Capitanei, Parmenio-

nionis, Alexandro M. datum, intempeſta videlicet nocte hoſtes eſſe opprimendos: videatur idem Curtius *Lib. IV. cap. 13.* Et Achitophel Abſoloni noctu Davidem ejusque exercitum defatigatum opprimere ſuadet: ceu habetur apud Samuel. *II. cap. 17.* Ita Jugurtha & Bocchus Marium, jam in hiberna proficiſcentem, vix decima parte die reliqua invadunt; rati noctem, quæ jam aderat, victis ſibi munimento fore, & ſi viciſſent, nullo impedimento, quia locorum ſcientes erant; contra Romanis utrumque caſum in tenebris difficiliorem fore: teſte Salluſtio.

Sed antequam ulterius progrediamur, è re erit, occaſionis figuram ad veterum opinionem, qua hi illam divinitate donarunt, & ceu Deam depingi curarunt, præmittere; ut hinc, & argumenti hujus natura & eſſentia eo magis pateſcat, & ſubſequenti diſcurſui quadam ex parte anſa præbeatur. Expreſſerunt autem hanc Deam pinnis inſiſtentem & pedibus pennatis, quod certo loco ſtare neſciret: facie capillis tecta, quod cognoſci niſi a diligentiſſimo obſervatore nollet, interim hac parte prehendi commode poſſet: occipite calvo, ne teneretur fugiens: novaculam dextra tenentem, ut elapſa præſcinderet omnem ſe apprehendendi ſpem: pediſſequam pœnitentiam habentem, quæ neglectæ imprudenter occaſionis exigeret pœnas. Exinde quodam-

dammodo ſponte ſequitur occaſionem aliam futuram, & in ſpe ſaltem poſitam; aliam præſentem; aliam vero, ſive negligentia noſtra, ſive quacunque ratione citra noſtram culpam, jam eſſe præteritam.

Ut futura exſpectanda, aut etiam humana induſtria captanda; ita prudentis Principis eſt circa præſentem bene diſcernere, utrum adhuc ſit in accremento ad agentis commodum; an in ſummo gradu perſiſtat, ut amplius non ſit ſpes illam fore magis convenientem; an vero jam in decremento ſit, & declinare incipiat. Si nondum matura, mens patientia aliquantisper eſt demoranda, donec ad ſuam maturitatem, quæ interdum ope amicorum & ſociorum, vel etiam agentis prudentia diligentiaque accelerari poteſt, perveniat. Id quod caute obſervavit Veſpaſianus, cum Judæos, ſeditionibus inteſtinis inter ſe diſtractos, ſtatim adoriri noluit, ne periculo cognito animi diffidentes reconciliarentur. De quo conſilio militari omnino legendus eſt Flav. Joſephus *de Bell. Judaic. Lib. IV. cap. 21.* cum & magnam lucem huic loco afferat, & cæteroquin eximiam Veſpaſiani prudentiam oſtendat; pari occaſione imitandam. Qua de cauſa quoque cunctatio Romani illius Ducis, cujus paulo ante mentio facta, tantis inter politicos laudibus effertur, ut etiam eam Machiavellus illis Romanæ

Rei-

Reipublicæ temporibus judicet commodiſſimam *Lib. III. ad Liv. cap. 9.*

Simulac vero occaſio permaturuit, jam non eſt ulterius cunctandum; ne illa Dea nobis aufugiat, & omnem negotii ex voto perficiendi ſpem novacula ſua præſcindat, imprimis cum poſteriore capitis parte ſit glabra, & propterea illa prehendi nequeat. Ad quod alludit etiam poeta ille, quando dicit:

Fronte capillata, poſt hac occaſio calva.

Difficile tamen admodum eſt maturitatis punctum accurate cognoſcere, & interdum non niſi ſagaciſſimo hæc res pateſcit, ut quæ non tam oculis quam prudentia & occurato judicio practico eſt inveſtiganda. Interim oblata & cognita occaſio omnibus modis eſt premenda. Quandoquidem *qui ad placlara adſpirat, in agnoſcendis ſagax, patiens in exſpectandis, & diligens in arripiendis occaſionibus eſſe debet*; notat Creſcentius inter Selecta Politica ex J. Cæſ. Sueton. Ex hoc principio quoque Amyntas, cum quatuor Græcorum millibus ad Perſas transfuga, ſibi ſubjectorum, & duceret, quo vellet, clamantium animis utendum, dum ſpe calerent, ratus; ut notatur apud Curtium *Lib. IV. cap. 1.*

Sed opportunitatis maturitate explorata, etiam Principi exquiſitè eſt examinanda ejuſdem mora, num illa ſit tanta futura, quanta

ta ad negotii expeditionem neceſſaria. Nam niſi actionis diuturnitas, ſive illud ſpatium, intra quod hæc tranſigenda, ad eam menſuram antè definiatur, haut raro, in magnas incidit moleſtias Princeps. Quare tunc, cum occaſio non eſt continua futura, aut metuendum, ne interrumpatur, ab agendo deſiſtere, quam ſuſcipiendi laboris tædio, imò & periculo, ſeſe ſubmittere, magis in rem & tutius eſt. Cum deficiente bona occaſione etiam fortunam, ut quæ illam producit, propoſito quodammodo defuturam timendum ſit.

Namque benigna fortuna bonæ occaſionis eſt quaſi mater, ceu ſupra ex definitione colligere eſt, eamque in agentis commoditatem alit. Videmus enim quotidie in rebus politicis, & magni ponderis, quomodo fortuna latente & vix ſenſibili ſæpe concurſu negotii agendi materialem cauſam & ipſum agentem præparet, & diſponat, ut actio commodè ſequi, & finis obtineri poſſit: Idque interdum adeò, ut hæc vis etiam luculente apparere videatur. Quandoque ipſi homines, vel integræ etiam ſocietates civiles, imprudentia ſua atque oſcitantia, ob animi vitia & hinc concitatam iram divinam, in illum incidunt ſtatum, ut aliorum, quos ejusmodi occaſione in hanc ſpem erigunt, actionis objectum, ſed ad ſuum exitium fiant. Nam *quando Deus puniturus eſt ſceleratos, eri-*

pit

pit eis mentem & conſilium, & tradit eos in reprobum ſenſum: fato, ejusmodi reipublicæ decreto, hinc agere incipiente. Econtrà *quamcunque partem* (obſervante hoc Philippo Cominæo Lib. IX. Hiſtor.) *Deus ſuit amplificari, ibi quoque prudentes homines & induſtrios excitat.* Fortuna itaque & caſu plurimæ ad agendum opportunitates, & quidem infinitis pene modis, pateſcunt.

Sed & ipſe homo negotium ſibi propoſitum peracturus ad occaſionem apparandam ſæpe multum confert; tum ſe iis, quæ ad perfectionem actus requiruntur, inſtruendo; tum etiam illum, circa quem tanquam materiam ſuæ actionis occupationem habiturus eſt, ad obtinendam intentionem optando. *Facile occaſiones*, inquit Saavedra, *reperit, aut ſubnaſci facit, qui eas ſtudioſe quærit;* Symbol. polit. LXXVIII. Atqui; *prudentis eſſe, pro temporum ratione hominum ingenia ad commoditates ſuas applicare;* docetur apud Machiavellum *Lib. IV. Hiſtor. Florentin.* Hinc tot principum legationes inſtituuntur, ut negotii, quod animo ſuo hactenus magna cura prenrunt, objectum, ceterasve circumſtantias, in aliquam conſiderationem politicam incidentes, ad ſuum commodum diſponant, & impedimenta, quæ metus, ne obfutura ſint, ſiſtit, vel tollant, vel enervent: hinc animorum reconciliationes,

amicitiarum confirmationes; hinc fœdera, variis legibus inſtructa, & ſi quæ ſunt alia hic utilia.

Honeſti autem prudentia ſua & honeſtis mediis, cæteri verò calliditate & fraudibus, hanc rem perficiunt, multosque eidem quandoque impendere annos opus habent. Nam *ſufficit quidem* (ceu differit Machiavellus ad Liv. Lib. III. cap. 8.) *unius viri ætas ad corrumpendam aliquantum populi multitudinem; ſed non eo uſque, ut ſuæ ambitioni planè obediat; & ſi maximè quis id effici poſſe contendat, tamen rurſus obſtant nimiæ cupiditates ambitioſorum, qui non exſpectare poſſunt occaſionem temporis, ut ad propoſitum ſcopum pervenire queant: ſed antequam materia ſit præparata, ambitionis ſuæ formam introducere fruſtra conantur, atque ita opprimuntur.* Et hanc captandi occaſiones rationem diligenter obſervaſſe populum Romanum, qua per quosdam vitia inter hoſtes excitarit, teſtatur Boxhornius *Inſtit. Polit. Lib. I. cap. 12. in Explan.*

Ex hiſce omnibus itaque Princeps videre poteſt, quid in eo ſit poſitum, ſi bene obſervaverit occaſiones, ſive eas, quæ ſibi, ſive etiam, quæ hoſti ulla ratione utiles eſſe queant: has, ut prudenter elidat, & corrumpat; illas verò, ut in ſuum uſum convertat, ſuumque ſcopum tantò minori cum moleſtia attingere queat.

CAP.

Cap. VIII.

DE
Electione Miniſtrorum in genere.

PErgendum jam eſt ad quartum & ultimum eorum, de quibus ſupra circa prudentiam ſenatoriam in fine mentio facta eſt, capitum, nempe de electione miniſtrorum. Quod argumentum hoc loco in genere, & deinceps uno atque altero capitibus ſpeciatim eſt percurrendum. Adeò autem neceſſaria quoque hæc doctrina principi imperium tenenti eſt, ut ſusque deque habita ea in graviſſimorum ſæpe impingat errorum ſcopulos, intolerabilis imperii cauſa ſit, atque opinionis, quam ſubditi ex hoc, quaſi animi indice, de ipſius virtutibus imperatoriis aucturi fuiſſent, ipſe corruptor exiſtat. Nam cum impoſſibile ſit, ut unus Princeps tantam negotiorum civilium multitudinem ſuſtineat, alios in hujus laboris ſocios cooptare ipſum oportet. Imò *munus regium eſt architectonicum, ſic ut non tam ipſe agere, quam aliis agentibus præſidere, & ad officium compellere eos debeat;* inquit Hopperus de Inſtit. Princip. At vero niſi ſibi ad reipublicæ gubernaculum ſocios illos ſecundum prudentiæ regulas ido-

neo elegerit, navis hæc politica nulla tempeſtate a naufragii, vel periculorum haut levium metu, eſt tuta. Unde ſubinde regimen enorme, rigidum, tyrannicum, injuſtum, impium (principis perſona ad ejusmodi vitioſitate quamvis non inclinante) per improbos miniſtros contingit. Quidam enim imperantes adeò incurioſi ſunt, ut totum negotium ſuis miniſtris indeterminatè committant, nec adminiſtrationis rationem unquam requirant: alios verò cura ſalutis quidem publica ſatis tangit, ſed affectibus non bene compoſitis, vel alia animi conſtitutione præpediti ſuorum miniſtrorum inidoneitatem perſpicere nequeunt.

Quare nullo negotio Principi exinde conjectare eſt, quid hoc doctrinæ politicæ caput intendat, & ad quid ipſi utile ſit; ſcilicet u bonos ſibi in onere hoc ferendo coadjutore conquirat. Obſervet autem illud ceu arcanum quoddam imperatorium. Nam licet ipſe reipublicæ negotia, tanquam moleſt. tædiove plena, quodammodo averſetur, adeo que ſibi vivere aliquatenus malit, hoc caſu ſaltem in illud ſummam curam conferat, u miniſtros ad omnia requiſita pro cujusque officii ratione ac natura idoneos conſtituat. Horum enim actiones prudentes, virtuoſæ, adeoque laudabiles, Principi, tanquam cujus auſpiciis ſunt geſtæ, in gloriam cedunt: ut alie-

alienis factis ſibi prudentiæ, juſtitiæ, atque laudatiſſimi regiminis magnum nomen apud alios, benevolentiam vero & autoritatem apud ſuos hac ratione comparare poſſit. Perinde ut econtra quicquid ab officiariis, ſive imprudentia, ſive etiam imposſibilitate peccatur, illud omne plerumque Principi ipſi, cum maxima famæ ſuæ obſcuratione, imputatur. Quoniam cauſæ inſtrumentales ad virtutem qualemcunque & directionem principalis, communiter operari exiſtimantur. Quæ ſua obſervatione etiam comprobat Mariana *de Reg. & Reg. Inſtitut. Lib. III. cap. 1.* quando dicit: *Itaque ab omni memoria multos Principes conſideramus laudem conſecutos, non tam probitate ipſorum, quam eorum integritate, quibus adminiſtris ſua poteſtatis uſus ſunt: contra aliorum principum nomen omnium turpitudinum maculis deformatum invidioſiſſimumque eſſe factum, libertorum magis culpâ & magiſtratuum, quam ſua.* Quanta verò utilitas ex hac prudentia, ſtrictè obſervata, in Principem quemcunque majeſtate politica ornatum redundet, ſine omni dubitatione colligere præterea licet (ut hanc aſſertionem quoque exemplo illuſtrem) ex iis, quæ Egeſippus de Veſpaſiano, Neronis tunc temporis duce bellico, memoriæ mandavit: *Sub hoc duce*, inquit, *Nero terribilis erat, Nero metuendus; potens foris,*

tutus domi: æquatus inter ſe Veſpaſiani fide ac fortitudine. Quantus iſte Vir, cujus armis Vitia Neronis apud exteras gentes abſcondebatur, ut ludibrium rerum humanarum, & elixata impuritatis opprobrium triumphis quoque illuſtraretur: De Reb. a Judæor. principibus in Obſidione fortiter geſtis, deque Excidio Hieroſolym. Lib. III. cap. 1.

Præterea & illud incommodum exinde, nimirum quoties Princeps imprudentem ſeſe hac in parte gerit, promanat, quod dignitates in indignos collatæ vileſcant, & juſtam æſtimationem paulatim perdant, teſte Berneggero: *Obſervat. Hiſtorico-polit. 1.* idque cum magno Principis reique communis damno. Nam ſecundariò & quaſi per accidens inſerviunt illæ quoque ad id, ut loco præmiorum ob egregia facinora reipublicæ præſtitorum, in benemeritos diſtribuantur. Involvere enim videntur officia & honorem & emolumentum; cum utrumque officiarii ſive ii, qui officiis illis præpoſiti ſunt, nanciſcantur: absque extraordinario tamen fiſci decremento.

Quamobrem ordinis ratio exigit, ut hinc examinemus eligendos. Quò autem ad Principis veram intentionem prodeſſe valeant, requiritur in ipſis, ut & *poſſint* ſibi committendam negotiorum politicorum admi-

miniſtrationem dextrè expedire, & illud quoque animo *velint.* Utrumque ſimul adeſſe omnino oportet: nam perinde eſt, ſive non poſſit exequi, quæ velit ea, quæ tamen optimè poſſit. Ad potentiam verò ſive facultatem agendi quæ ſpectant, aut communia ſunt omnibus, vel plurimis miniſtrorum ordinibus; aut cuique propria. Hæc ſingulis pro cujuslibet officii natura ac proprietate in excellentiori gradu ineſſe deſiderantur. Hinc notat Boxhornius Inſtit. polit. Lib. I. cap. 8. *Optimi cenſendi ſunt, in quibus non tantum elucent omnes illæ virtutes, quæ in cujusvis publici negotii adminiſtratione neceſſariò requiritur: Sed vel maximè etiam illæ, ſine quibus ſingula negotia, quibus admoventur, non poſſunt expediri, curentur; ut in judice ſcientia legum, in Senatore experientia, in quæſtore peritia ponendorum calculorum.* Et admodum appoſitè Saavepra quoque Symbol. LII. *Non omnes experientiæ,* inquit, *ſicut nec omnes virtutes cuilibet muneri publico apte conveniunt; Sed ea ſolum, quæ ad illam gubernationis politicæ partem pertinent, quæ cujusque eſt propria: nam qui ad unum aliquod officium publicum idonei ſunt, non ſemper apti ſunt ad alia.* Exemplum ſubjungit Ludovici Sfortiæ, Ducis Mediolanenſis, imprudentiſſimè armorum adminiſtrationem Galeaſo

Sanſeverino, homini quidem in ejus tractandis dexterrimo, ſed belli prorſus imperito, committentis. Simili imprudentia rebus ſuis conſuluit Ludovicus XI. Franciæ Rex, quando ſartorem pro feciali, tonſorem pro legato, & medicum pro cancellario habuit. Ante omnia itaque Princeps cautè procedat in eo, ne quem ejusmodi negotiis præficiat, quorum naturam hic non intelligit; ſed fortaſſis in alio prudentiæ vel artis genere ſit excercitatus, unde & nomen apud omnes, & gratiam apud Principem ſibi conciliavit.

Hoc loco autem cumprimis communiora illa ſunt pertractanda: reſpicientia eligendi ipſius, vel intellectum maximè; vel corpus; vel utrumque conjunctim. Circa intellectum prudentia conſiderari debet: quamvis enim non in ſingulis eadem, tamen in omnibus aliqua ad exquiſitam muneris injunctæ functionem exigitur. Atque illa involvit notitiam, non ſolum univerſalium ab omni ſingularitate remotorum; ſed & ipſorum ſingularium, ſive illarum rerum, quæ cujuslibet officio ſunt ſubjectæ. Niſi enim miniſter earum naturam, conditionem, ac circumſtantias etiam minutiſſimas, accuratè noverit, ſuo munere perfectè fungi nequit. Piccolomineus in Philoſophia morali appellat hanc notitiam intelligentiam practicam actionem dirigentem, ſive cognitionem

act-

actam eorum ſingularium, in quibus verſatur actio, vel quæ ad actionem conſpirant: *Grad. V. cap. 35.* Poteſt tamen hæc cognitio facilius comparari a novitio; quanquam minori cum moleſtia ab indigena, quam extraneo.

Longè majorem expoſcit diligentiam, imò & moram, univerſalium acquiſitio: quæ perficitur, tum doctrina, tum etiam experientia. Sanè in quibusdam rebuspublicis doctrina ſive eruditio, etiam illa (quod mirum) quæ ad practicam vitam pertinet, in adeo exiguo habetur pretio, ut eam Muſarum amicus ſine iriſionis periculo ibidem vix ac ne vix quidem profiteri audeat. Tantum vero abeſt, ut omnem propterea eruditionem hinc abeſſe jubeamus, ut potius ap quodvis politicum munus, quod alicujus momenti ſit, adminiſtrandum, qualemcunque deſideremus. *Quoniam in promptu eſt,* ut inquit Beliſarius Libell. de Educat. Princip. *talia fore imperia, quales eorum ſunt mentes, a quibus imperia gubernantur.* Loquitur quidem Autor allegat. loc. de Principibus ipſis; Sed etiam perbene conveniunt illorum vicariis, ſive miniſtris. Cum idem tali quoque caſu effectus ſit expectandus. Vel Chinenſes hac occaſione nobis, quamvis alioqui moratioribus & animi virtutibus ipſos antecellentibus, ſe longè prudentiores politicos demonſtrare videntur: nullis niſi literatis negotiorum civilium

expeditionem cum cura committentes: ceu bene obſervat Athanas. Kircherus *in China Illuſtr. Part. IV. cap.* 2. Quantam verò ſtatus civilis ex hoc dogmate politico, diligenter uſurpato, rectitudinem ſortiatur, exemplo Monarchiæ Chinenſis idem Kircherus, tum alleg. loco, tum quoque *Part. II. cap.* 10. docet hiſce verbis: *Si ulla unquam*, dicit ibidem, *monarchia ſecundum principia politica rectaque rationis dictamen conſtituta fuit, illam ſanè Sinarum eſſe auſim dicere. In qua quippe omnia tantô ordine diſtributa comperio; ut quemadmodum literatorum ſeu ſapientum arbitrio & regimini ſubſtant omnia, ita quoque nil pæne in univerſo Imperio tranſigitur, quod ab iis non dependeat: ueque quisquam ad ullum dignitatis gradum aſpiret, qui literarum artiumque Sinicarum non fuerit quam locupletiſſimè inſtructus; quique per rigidum literatorii tribunalis examen ad aliquod dignitatis munus cum dignitate obeundum (omni favoris & gratia parentum cognatorumque affectu ſepoſito) prius non fuerit approbatus; tantoque quupiam majus digniusque officium conſequatur, quantò in ſcientiarum notitia politicesque doctrina fuerit eminentior.*

Lar-

Largiſſima quidem manu doctrina, adeoque multò ampliorem univerſalium ſuppeditat notitiam: veruntamen magis accommodatam ac utiliorem experientia, velut quæ ab uſu ad uſum transfertur; ut non deſint, qui omnem prudentiæ politicæ cognitionem hinc eſſe hauriendam, eamque propterea ſolummodo eſſe empiricam contendant; ſicut oſtendit Conringius *Lib. de Civil. Prudent. cap. 7.* In magna præterea ubertate hiſtoriæ actionum civilium imagines, ad prudentiam aliorum compoſitas, offerunt; ſed vero non illa certitudine ac res geſtæ, quibus aliquis ipſe interfuit, & manus admovit. Hæ equidem numero ſunt paucæ, ut ex praxi aliquot ſaltem annorum petitæ; attamen in ingentem adminiſtrationis rerum politicarum uſum.

Cæterum & corporis appoſita conſtitutio eligendi ſive futuri miniſtri facultatem officio debitè fungendi auget. Quantumvis enim, quoad animi dotes, ea non niſi ſigna quædam interdum ſubminiſtret; plurimum certè confert ad autoritatem (quemadmodum & ſuprà ad Imperatorem bellicum eſt notatum) ſive reverentiam, concitandam, & benevolentiam hominum alliciendam. Sunt autem hæc duo adminicula officiario in ſua functione adeò neceſſaria, præſertim ſi ea per poteſtatem & imperium venit exercenda, ut absque iis, neque Principi, neque miniſtro ipſius vicario,

neque ipſis imperio ejusmodi ſubjectis, unquam ſatisfieri queat. Hinc Corn. Nepos de Iphicrate atteſtatur, ipſum fuiſſe & animo magno, & corpore, imperatoriaque forma, ut ipſo aſpectu cuivis injecerit admirationem ſui. Huc quoque faciunt, quod benevolentiam attinet, ea quæ Plutarchus in Scipione obſervavit: *Erat Scipio animo aliuque virtutibus vehementer excellens, ſed praſtans etiam pulchritudine oris, & totius corporis forma conſpicuus, lata atque hilari fronte: qua plurimum valent ad gratiam hominum conciliandam;* teſte Simanca de Rep. Lib. V. cap. 13. Perinde ut econtra deformitas in corpore deſpicientiam commovet; ceu ex iis, quæ Corn. Nepos de Ageſilao notat, elucet: *Atque hic tantus vir* (dicit de ipſo) *ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, ſic maleficam nactus eſt in corpore: exiguus & claudus altero pede. Qua res etiam nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti faciem ejus cum intuerentur, contemnebant.*

Denique circa utrumque, animum ſcilicet ſimul & corpus, conſideranda venit quædam dexteritas exequendi negotia civilia. Ut enim dextra manus expeditior ſiniſtra in effectione operis: ita hominum alii alios antecellunt promptitudine expediendorum actuum eorum, qui ipſis incumbunt. Experimur autem

tem hanc diſpoſitionem, & animi & corporis, ad dextrè agendum in quibusdam eſſe univerſaliorem, ſe ad plura negotiorum genera extendentem; in aliis verò ad unum ac alterum contractam. Atqui exiſtit interdum ſingulari naturæ benignitate, verum crebra exercitatione & uſu ad ſuam redigitur perfectionem. Franciſc. Baconus de Verulamio naturalem illam aptitudinem fortunæ aſſignare videtur, *Serm. Fidel. XXXVIII.*

Ex modo dictis itaque palam eſt, quomodo is, qui officio alicui adminiſtrando præficiendus, in genere debeat eſſe comparatus, ut poſſit, quod ſibi injunctum, bene præſtare: ſequitur jam, ut eadem ratione de voluntate illius aliquid addamus. Circa hanc veró ut quoque ordine verſemur, placet in tres claſſes diſponere omnia, quæ a nobis hic venient perpendenda, ut nimirũ Princeps in eligendo miniſtro animum ad ea ſedulò advertat: & quidem ad primam claſſem referimus illa, quæ voluntatem fovent, & conſervant; ad ſecundam verò, quæ eandem intra terminos cohibent, ac continent; ad tertiam denique quæ metum, ne ea corrrumpatur, & extra officii jam injuncti limites avocetur, in animo Principis merito erigunt. Voluntatem fovere & conſervare, tum pietatem erga Deum; tum quoque benevolentiam & ſingularem miniſtri eligendi erga ſuum Principem propen-

ſionem ; nec non probitatem & candorem animi ; ac poſtremo aſſiduitatem ; omnino perſuaſum habeo.

Ac pietatem propterea hic requiro, quoniam verum eſt fundamentum juramenti, quo miniſter ad fidem Principi ſuo datam, obligatur ſervandam. *Eò magis Princeps*, inquit Vedelius de Prudent. Vet. Eccleſ. Lib. II. c. 5. *operam dabit, ut talibus viris* (ſcilicet qui Zelo veræ religionis ſunt præditi) *utatur quia illi Principi maximè fideles ſunt miniſtri. Retinet enim eos Dei timor in officio atqui efficit, quo minus ab amore & fi diſcedant, quam ut Principi ſuo præſtent vera religio ab ipſis poſtulat.* Contrà verò ſi ejusmodi homo impius eſt, vel veræ pietatis ſimulator tantum, nullam juramenti formam, quo ipſum conſtringet, Princeps com miniſcetur. Qui enim Deo infidelis exiſt multò magis ſe talem hominibus exhibit rum metuendum eſt.

Sed pietati ſe tanquam alterum fundame tum ad conſervandam fidem adjungit ben volentia in Principem. Hisce enim duob bene perſpectis, & cognitis, non habet Pri ceps, cur de eligendi fidelitate dubitet. hoc uno tamen hic obiter admonendus eſt, affectus ſuos refrenet, ne temere miniſtr jam in officio conſtitutum, præſertim ſub nioris dignitatis, offendat, graviori injuria

ſic

ficiat, ac ipſi in bonis, vel honore ſine data cauſa noceat: ceu hoc ipſum ſubinde cum maximo diſpendio & periculo evenit.

Nec non tertio ad Principem pertinet in examine iſthoc cumprimis obſervare mores candidati, num illi ſint recti & probi. Probitas verò hæc quàm maximè ex vita præcedenti, tanquam effectu de cauſa ſua teſtimonium haut fallax declarante, eſt colligenda. Qualis enim vitæ ratio & mores, tales dehinc quoque actiones ſequuntur. *Diligenter autem in eorum, qui præficiendi ſunt, vitam, mores, & ingenium inquiratur, ne pro paſtoribus lupis provinciæ commendentur;* quemadmodum bene docet Mariana *de Reg. Inſtit. Lib. III. cap. 1.* Hinc veteribus conſtitutionibus in Gallia prudenter fuit obſervatum, ut nulli ad publicum officium admitterentur, niſi ii, quorum nomina apud Regem eſſent profeſſi Magiſtratus, ut civitatum conſules, aut præſides provinciarum; illorum idoneitatis, & quod ſanctè integreque egiſſent, veri teſtes. Videatur Antimachiavellus *Lib. I. ad Theorem. I.*

Ultimò & aſſiduitas circa actiones & labores in candidato eſt notanda: ut quæ voluntatem excitat, & ad agendum movet. Otio verò & ignaviæ deditus ea, quæ ſui erunt officii, facillimè negliget; atque hoc omne non deſtinatione animi doloque, ſed turpi labo-

rum fuga, & peſſima deſidia in ipſius Princi-
pis perniciem: ceu illud imperantes in ſ
adminiſtratione plus ſatis experiuntur. V
deſis etiam Oſorium, ut qui hoc vitium
magiſtratu a ſuis effectibus ad vivum depi
git, atque quo ejusmodi ignavos ab eo d
terreat, ob oculos ponit; *de Reg. Inſtitut.*
Diſciplin. cap. 8.

Pergo ad ea, quæ voluntatem magis ob
ligant, ac jam obligatam intra terminos ſu
cohibent atque continent. Liceat aute
doctrinæ cauſa ſaltem ea hic inſerere, ut qu
alias non niſi per accidens ad argumentu
hujus capitis pertinent; cum proprie circ
miniſtrum, actu jam in officio conſtitutu
vel electum debeant conſiderari. Suntqu
hæc: juramentum, præmia, & pœnæ. Ju
ramenti paulò ante mentio quædam eſt fact
Solent autem principes illud nullo non tem
pore a novis miniſtris exigere: quò eoru
voluntatem ad obſequium & fidelitatem tan
tò magis ſibi adſtringant.

Pari efficacia præmia adigunt officiario
ad id, quod muneris ſui ratio poſtulat, cu
diligentia & fide exequendum: ut qui de im
pendendi laboris præmio certus eſt, obliga
tione majorem utplurimum impendat ope
ram, & contrà qui ſedulitatis fructum nullun
exſpectat peculiarem, haut rarò frigidius
quam par eſt, negotia gerat. Hinc itaqu

Prin-

Principi haut difficulter patet, quantam præmiis vim in voluntatem miniſtrorum ſuorum attribuere poſſit. Incutiunt enim animis miniſtrorum fidem ac diligentiam, quibus ſe hactenus Dominis ſuis probarunt, continuandi neceſſitatem, ſucceſſurosque eadem ſpe ad officium, ut ipſis incumbit, adminiſtrandum, compellunt. Præter hæc præmia a manu Principis exſpectanda, Cicero (ceu pius politicus, quantumvis ethnicus) quoque ſtatuit *omnibus, qui patriam conſervarint, adjuverint, auxerint, certum eſſe in cælo ac definitum locum, ubi beati ævo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim* (pergit) *illi Principi Deo, qui hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quam concilia cœtusque hominum jure ſociati, quæ civitates appellantur. Harum rectores & conſervatores hinc profecti, & huc revertentur.* In Somn. Scipion. Quæ quidem manifeſto indicant, ſocietates civiles inter res mundanas cumprimis eſſe inviolabiles, & Dei t. Op. Max. cura ſingulari munitas; ut propterea quivis ad clavum reipublicæ adhibitus, officio ſuo rectè fungi, quoque vehementiſſimè permoveatur, vel ſaltem eo moveri debeat.

Verum non minorem quoque pœnis ad voluntatem eorum intra officii gyrum continendam ineſſe putet. Nam *non præmiis ſolum*

lum ſed etiam pœnarum metu, ſolet volun-
tas humana, atque adeò fides in officio con-
tineri. Itaque ad ſervandum in fide mi-
niſtrum juxta præmia metus quoque requi-
ritur: teſte Conringio, *Animadverſion. a*
Machiav. Princ. cap.22. Cum vero etiam
miniſtrorum delicta, non ſecus atque in ali
contingit, pro committentis propoſito ſin
varia, ita quoque pœnæ juſta proportion
cum his ſunt adæquandæ. Nam *qui pecu-*
niâ corruptus (verba ſunt Oſorii de Reg. In-
ſtitut. Lib. 8.) *aut malitia & improbitat*
cæcatus male ſuum officium gerit, acerrim
plectendus eſt. Malum enim, quo premi-
tur, vix ſanari poteſt. Is autem, qui pe-
rot alicujus imperitiam aut incuriam er-
ravit, facilè poteſt ad officium revocar
Mediocres autem animorum morbi facili &
tolerabili medicina ſanantur: graves au-
tem & periculoſi non niſi curationibus acer-
biſſimis expelluntur.

Sed quæritur, num Princeps miniſtros, of-
ficio ſuo abutentes, etiam publicè punire de-
beat? Cæteris delinquentibus graviori co
pœna dignos extra omne dubium (niſi fallor
eſt poſitum; cum ſua transgreſſione, non tan
tum ſubditos, ſed & ipſum Deum, ac Princi-
pem lædant: illud verò dubitatur, an public
ſint puniendi? Negativam quibusdam place-
re ſententiam, apparet ex diſcurſu circa han

quæ

quæſtionem inſtituto, qui exſtat apud Gaſp. Ens *Theſaur. Polit.* Part. III. Apotelesm. LV. Rationes autem negantium potiſſimum ſunt hæ: (1) Quod opinio, quam parentes de vicariorum Principis candore & integritate tenent, ac inde dependens autoritas, hoc modo oppido atterantur, & per conſequentiam ipſius Principis reſpectus lædatur, ut qui etiam ex quadam parte in exiſtimatione & dignitate eorum, qui illius vices gerunt, locatus ſit. (2) Quod Principis imprudentia prodatur, hoc pernicioſo errore ita publicato; quando ii, qui ab ipſo ut boni & idonei electi ac conſtituti ſunt, poſtea pro ſceleratis & infamibus palam declarantur. (3) Denique quod Princeps etiam, ita ſeverè in ſuos miniſtros animadvertens, non tam juſtitiæ cauſa, quàm quod eorum divitiis inhiet lucrandis ſe hoc facere quodammodo videri poſſit. Ut, Henricum VII. Angliæ Regem ſic animatum fuiſſe, haut obſcure indicat Verulamius in Hiſtoria Regni hujus, quando inter cauſas, eum ad condemnandum Stanlejum Conſiliarium & Camerarium ſuum compellentes, recenſet conſiſcationis magnæ exſpectationem.

Verum enim verò tantum abeſt, ut ea ratione Principis opinio apud ſuos ſubditos, aut etiam alios conſervetur, ut potius, ſi ad manifeſta ejusmodi flagitia conniveat, in con-

temn-

temptum populi & odium incidat; & vel ſtupidus, qui horum hominum rapacitatem, aut alia vitia ſentire nequeat; vel injuſtus ab omnibus habeatur. Nec quicquam vehementiorem Principi apud populum amorem & venerationem conciliare poterit, quàm ſi pœna afficiat eos, qui enormi avaritia celebres, ac crudelitate aut ejusmodi aliis transgreſſionibus incolis graves ſummoque odio fuere; ſicut exempla quotidiana docent. Quod ergo attinet *primam* rationem; non minuitur dignitas Principis publica pœnæ inflictione, ſed potius conniventia & immodica facilitate, ut quæ hoc caſu in animis ſubditorum vilipendium & deſpicientiam parere valet; imò & ingentem ſubinde animorum exacerbationem. Ad *ſecundam*: quod dicunt Principem nefarios miniſtros publicè puniendo prodere ſuam imprudentiam, eſt contra quotidianam experientiam; cum incolæ ipſius hoc potius imprudentiæ & inexcuſabili negligentiæ aſſcriberent, ſi pœnam differret. Nec poteſt facile Principi imputari, ſi una atque altera vice erraverit in eligendo miniſtro: quod vitia forte, vel ita fuerint recondita, ut etiam a prudentiſſimo animadverti non potuerint; vel verò poſt ſint aſſumpta. Quod *tertiam* concernit rationem, nec eſt, quod ſibi hac de cauſa a quoquam metuat. Et ſi non placet bona applicare fiſco, ad pias cauſas impen-

dan-

dantur. Sed interdum tanta copia ab iſtis nequam ſunt compilata, ut jure in fiſcum, tanquam qui illis defraudatus, ea comportari, eraeve reipublicæ ſit. Neque inde ſibi nomen avari ulla ratione imponet, modo res accuratè ad juſtitiæ normam exigatur: ſed potius venerationem tanto majorem apud cæteros ſuos officiarios, & gloriam apud omnes, excitabit; propter exquiſitam attentionem circa actiones & conatus eorum, quorum fidei ac diligentiæ charos ſuos cives illorumve bona commiſit.

Verum revocanda eſt meditatio ad ea, quæ magis hujus ſunt loci. Reſtant autem illa, quæ ne voluntatem candidati poſtmodum corrumpant, meritò veremur: ut Principis ad ea in electione haut oſcitanter attendere (præſertim quoties virtutes ad primam claſſem relatæ in eo non ſunt ſatis eminentes, aut probatæ) multum quoque interſit. Qualia ſunt animi vitia, vel naturali diſpoſitione innærentia, vel prava aliqua conſuetudine contracta: quæ ſanctum illud vinculum, ſolennibus etiam verbis quamvis colligatum, non raro infringunt. Nam *fallun-tur egregiè Principes* (inquit pulchre Saavedra Symbol. LXXVI.) *qui ſibi perſuadent miniſtros ſemper ut miniſtros agere, nunquam ut homines. Quod ſi ita eſſet, meliora ab iis præſtarentur obſequia, & pauciora exe-*

evenirent incommoda. Attamen homine ſunt, neque miniſtri munus eos continu exuit propenſione naturali ad quietem & delicias, amore, ira, vindicta, aliisque affe ctibus & paſſionibus, ad quas corrigenda non ſufficit ſemper ſtudium boni commun & obligatio. Inter ejusmodi vitia vero emi nentiora & frequentiora ſunt avaritia & am bitio; adeoque hoc loco cumprimis obſer vanda. Quantis ſanè periculis & afflictio nibus hi duo mali genii, in Rempublicam Romanam paulatim irrepentes eam ſubmiſe rint, Salluſtius, priſtinum illius ſtatum com pendioſè repetendo, eleganter docet, in Bell. Catilinar.

Avaritia ſanè eſt animi deformitas in civi lium rerum tractatione admodum detrimen toſa, atque in ſacro Codice ſic ſatis congru enter radix omnium malorum dicta: cum auri ſacra fames ad quæcunque etiam ſcelera adigat ſuos veneratores. Peſſimè eam de pingit Salluſtius, quando in Orat. 2. ad C. Cæſar. de Rep. Ordinand. dicit: *Avaritia bellua fera, immanis, intoleranda eſt: quo intendit, oppida, agros, fana, atque domos, vaſtat: divina cum humanis permiſcet: neque exercitus, neque mœnia obſtant, quo minus vi ſua penetret; fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales ſpoliat.* Atque hic de illo genere ava-

[av]arorum cumprimis ſermo eſt, qui in accipi[e]ndo modum excedunt, & per fas & nefas [r]apaces ſuas manus in alienas, multo ſudore interdum acquiſitas, fortunas immittendo magnas divitias cum officii ſui pernicioſa adminiſtratione, atque ſubditorum ruina, conglomerant. At vero *qui cumulandis opibus* (ſunt verba modo citati Saavedræ Symb. polit. LIII.) *& fortunæ ſuæ fabricandæ plus æquo intendunt, iis munera publica absque periculo committi nequeunt.* Huc refer etiam illa, quæ cuidam, ad Mediolanenſem provinciam regendam, miſſo, inter alia in Inſtructione præſcripta leguntur: *Manus miniſtrorum diligenter obſervare, eorumque avaritiæ & rapacitati fibulam ponere gubernator imprimis debet. Tot enim exactionum & concusſionum ſunt modi, quibus miniſtri paſſim, cum Gubernatoris probro, principis damno, & populi vexatione utuntur, ut enumerari vix queant.* Vid. Gaſp. Ens Apotel. XXII. Ad hæc gravia ſunt, & cuilibet honeſtatis bonæque famæ amanti terrorem incutientia, quæ Cicero *Lib. II. Offic.* hac de re producit, quibusque unumquemque muneri publico admodum a nocivo hoc vitio vehementer dehortatur: *Nullum*, inquit, *vitium tetrius quam avaritia, præſertim in Principibus & rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui rempu-*

publicam, non modo turpe eſt, ſed ſceler
tum etiam, & nefarium. Ut illud vitii
in Republica Romana etiam legibus propter
conſtitutis prudenter fuerit cohibitum, & c
jusque principis prudentiæ hæc in electio
miniſtrorum vigilantiſſimè cavere, ſit injun
ctum. Quanquam & ipſi miniſtri ad Ep
minondæ, Thebani Ducis, abſtinentiam,
mni laude extollendam potius reſpician
eamque ſibi regulam immodici ſui appetitu
auri cupidinis moderatricem, ſtatuant: qua
magno encomio & fusè proſequitur Cor
Nepos in deſcriptione illius vitæ *cap.4.* qua
que hiſce præſertim ipſius Epaminondæ ve
bis eminet: *Nihil,* inquit, *opus pecunia eſt*
Nam ſi ea Rex (videlicet Artaxerxes, q
Epaminondam pecunia ſollicitare curaverat
vult, quæ Thebanis ſint utilia, gratis facer
ſum paratus: ſin autem contraria, no
habet auri atque argenti ſatis. Namqu
orbis terrarum divitias accipere nolo pr
patriæ caritate. Te, qui me incognitum
tentaſti, tuique ſimilem exiſtimaſti, ne
miror: tibique ignoſco. Sed egredere pro
pere, ne alios corrumpas, cum me non po
tueris.

Alterum vitium eſt ambitio, ſive nimia ho
noris appetitio. Hæc in civilium negotio
rum directoribus non minus eſt noxia atque
avaritia; ut Maugenbertus *Practic. Pruden*
Polit

Polit. & milit. Lib. V. Axiom. 18. hæc in medium proferre non vereatur: *Ubi ambitio Ducis loco, & utilitas ſigniferi eſt, caterva vitiorum evadit potentiſſima: quavis repagula perfringit, viamque facit, quicquid juſtitia, honeſtas, fides, jusjurandum, aut pietas religioſa opponant.* Quare Princeps & debitam curam habeat, ne animum, immodica ambitione infectum, ad munera reipublicæ admoveat. Nam ut avaris pecunia & divitiis, ita talibus ambitioſis omnia honoribus ſunt venalia: & quantò majores accipiunt dignitates, tantò magis eas appetunt, ſemper honores ſitientes; perinde ut

Quò plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Solent autem utplurimum illi homines quoque invidiam & iracundiam, tanquam ſuæ qualitatis perpetuos comites, in pectore alere. Quippe ambitionis pleni, ut qui æmulos & pares, aut proximè ſuperiores, ægrè ferunt, invident aliorum dignitati, & propterea ipſis vehementer iraſcuntur, atqui adeò continuas cum illis fovent inimicitias & rixas; ſed in Principis unius diſpendium. Nam ut conſenſio officiariorum, in reipublicæ & Principis ſalutem cooperantium, negotia ad concinnam expeditionem promovet, nec agendi occaſiones facilè negligit: ita animorum diſſenſio adminiſtrationem rei communis impedit, juſtitiam demoratur, conſilia corrumpit, & tandem

dem omnia ſurſum verſum agitat ; præſerti
ſi inter proximos a Principe contingat, & co
qui vel ut collegæ, vel ſibi ſubordinati, domi
no ſuo miniſterium præſtant.

Perpenſis jam iis, quæ in genere circa eli
gendum conſiderare placuit, dehinc ad electio
nis modos progredi deberemus, niſi adhu
unicum reſtaret, huic capitis membro anne
ctendum. Nam cum variæ hominum, di
verſis inde moribus præditorum, claſſes ſe
offerant, ac ea de cauſa, quæ alteri in electio
adminiſtrorum præferenda, inter politico
quodammodo dubitetur, nonnihil etiam oper
illis dubiis eſt impendendum. Et quide
primò quæritur: an indigena debeat præfer
extraneo; ſi uterque videlicet in electione
veniat, & æqualibus attributis, ad munus ne
ceſſariis, ſit ornatus? Quod hiſce rationib
affirmandum opinor: (1) Quia id facere vide
tur ad conſervationem, imò quoque augme
tum amoris & benevolentiæ in ſubditis, vel
quodam beneficio hinc affectis, adverſus rem
publicam ac Principem. Econtrà illa prope
ſio in ingens odium & acerbitatem pericul
ſam facillimè commutabitur, quando incol
extraneis idoneitate non impares, ſe nihilom
nus illis poſthabitos, & omni omnino dign
tate excluſos, comperientur. Vergere en
hoc aliquatenus in gloriæ & exiſtimatio
populi totius decrementum videri poſſit; q

ſi Princeps ſuorum prudentiæ & integritati prorſus diffidat. Atque hinc mota eſt ſequens querela incolarum regni Sueciæ, maximè genere eminentiorum, ac palam ad Regem, Magnum I. delata: *Quamvis ad nominis ſui regnique exiſtimationem quandam pertinere credat, etiam peregrinis apud ſe locum eſſe, ita eos ornet, ut citra regni legis veterumque inſtituti, & patriæ fraudem ſit. Non deeſſe, nec defore Sueones, qui magis ad arma, fidem, libertatem, quam ad compoſitos ſermones & ſerviles blanditias apti, fortunas ſuas ac Spiritum pro Regis ſalute profundere non detrectent. His alienigenas præferri, plus invidia quam gloria habiturum. Certe ſibi ludibrio, nec Regi uſui fore.* Quemadmodum hæc apud Loccenium Hiſtoriæ Sueciæ inſerta leguntur *Lib.* 3. Sed hoc loco omnino venit notandum, ejusmodi publicas querelas crebro contingere in ſtatibus mixtis & iis, ubi populus magna gaudet libertate & privilegiis; ceu, etiam tunc temporis, Suecici regiminis conſtitutio erat: in ſtatu vero purè tali hæc gravamina non adeo occurrunt, niſi ſi fortaſſis unus vel alter privatim queratur; cum populus ſit facilè contentus, modò eidem præficiantur viri boni, qui imperio vicario honeſte & cum modeſtia fungantur. (2.) Quoniam etiam indigenæ ſæpiuſculè moleſtè ferunt,

cum ipſis regendis alienigenæ, longe div[e]ſis ſortean moribus & animi inclinatione d[i]ſimili inſtructi, præficiuntur; maximè ſi ingenii dotibus & dignitate non excella[nt] iidemque præterea ſolito rigidius impere[nt]. Quas ob cauſas Judæi admodum graviter [f]rebant imperium Romanorum; ceu hoc [ex] Joſepho, Judaicæ Hiſtoriæ ſcriptore, quoq[ue] eſt manifeſtum. (3.) Et hanc rationem pol[i]tici in conſiderationem trahunt, quod indig[e]næ, tanquam ipſius reipublicæ membra, qu[am] aliis ſui ſimilibus jus quoddam ad dignitat[es] ſive honores prætendant. Quamvis illu[d] quidem non ſit adeo pingue, ut parent[es] (præſertim in ſtatu pure monarchico) ſi[bi] officia ab Imperante poſtulare & vindica[re] poſſint: attamen qualitatem quandam mora[] lem minus perfectam, ſive aptitudinem (u[t] Grotius loquitur *Lib. I. cap. I. de Jur. Bel[l]. & pac.*) quadam ratione eminentiorem, a[d] illa, idque ex ſocietate politica & per conſe[]quentiam mutuæ benevolentiæ, quæ inte[r] utramque partem eſt, vinculo contractam hiſce aliquatenus competere, haut abſonu[m] videtur. Adeoque hoc in illo negotio, ſi plures, per omnia æque digni, ſimul ad aliquod officium adſpirant, a Principe utroque obſervari poteſt, ut præferentia ipſius populari ob allegatas rationes, ex prudentiæ fundamentis deſumptas, regulariter concedatur. Tametſi ali-

aliquando, ſive in quibusdam rerumpublicarum ſtatibus, minimum quoad quædam expeditionum politicarum genera, conſultus, atq; etiam tutius, alia, & præcedenti contraria, ſententia ſit amplectenda.

Secunda quæſtio ſit, an nobilis præponendus plebeo? Si hi competitores virtute & qualitatibus animi non ſunt impares, nobilis alteri præcedat; idque ob has maximè rationes: (*1.*) Quia naturales ingenii dotes in illo egregiæ præſumuntur, ut qui ex tali parente bonæ indolis progenitus: Siquidem ad mentem Horatii;

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in juvencis, & in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Quamquam tamen hoc non rarò fallat: ut excellentiſſimorũ virorum filios a ſuorum parentum virtutibus recedere, & ex ſapientiſſimis patribus interdum ſtultiſſimos liberos prognatos videamus: in quibus, ſicut in ſtatua, præter nomen nihil ſit additamenti; ceu Salluſtio in *Orat. II. ad Cæſar. de Rep. ordinand.* hoc exprimere placet. *Ut in agris,* inquit Ariſtoteles, *iisque, quæ e terra gignuntur, ita in familiis proventus quidem eſt*; *& interdum, ſi bona familia fuerit, naſcuntur in ea ad aliquod tempus viri eximii; ac deinde rurſus ex intervallo alios*

emittit; Lib. II. Rhetor. cap. 15. Naturæ beneficiis (2.) accedit deſiderium intenſum majorum ſuorum egregia facinora, & reipublicæ gloriam ac ſalutem olim adhibita, imitandi; quod ſæpius poſteros comitari ſolet. Atque huc referenda, quæ Salluſtius Bell. Jugurthin. notat, nimirum Q. Maximum ac P. Scipionem, vel etiam alios civitatis Romanæ viros præclaros, ita dicere ſolitos eſſe: *cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſimè ſibi animum ad virtutem accendi, ſcilicet non ceram illam, neque figuram tantam vim in ſeſe habere, ſed memoria rerum geſtarum eam famam egregiis viris in pectore creſcere, neque prius ſedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit.* Neque (3.) ſilentio prætereunda eſt autoritas, quam nobilis apud concives ſuos, & imprimis plebem, obtinet majorem; a naturalium ſplendore (ut quibus honor & reſpectus quidem merito habendus) ipſi attributam. Et ſanè inter fulcra, quibus officiarius, qua talis, innitatur, haut minimæ conſiderationis. Ut itaque nobiles, modò tumidos mores, quibus ſæpiuſcule infecti & concivibus moleſti ſunt, remittant, ſic ſatis idonei appareant Principi ſuo miniſtri. Adde præterea, quæ Franciſc. Bacon. de Verulamio *Sermon. Fidel. cap. 14.* in hanc rem diſſerit.

Tertiò

Tertiò in quæſtionem vocatur; an dives pauperi in electione præferendus ſit? Videri quidem poſſit pro divitibus tantummodo eſſe concludendum. Nam hi fortean exquiſitiorem prudentiam & diligentiam, quàm pauperes, in reipublicæ & ipſius Principis conſervationem ſunt impenſuri; idque vel propterea, cum rei communis ſalute periclitante, & opulentiorum divitiæ non minus periculo ſint expoſitæ, atque illa ſalva & incolumi ſervata, hæ quoque ſalventur. Accedit & illud, quod ii ad fidelitatem ſuo Principi exhibendam, propter magnas opes, velut fidei pignora, magis adſtringantur. Denique non habent opus, ut peculiarem curam rei familiari augendæ, quippe quæ jam ſatis eſt ampla, impendant; ſed quicquid ipſis temporis & operæ ſuppetit, illud omne negotiis ſibi commiſſis tanto accuratius expediendis attribuere poſſunt. Nihilominus tamen politici quoque pauperes ad officia publica admittunt: niſi vel ſocordia, vel intemperantia, aut ſimili animi vitioſitate, ad illam paupertatem ſint redacti. Neque quicquam obſtat, cur non eadem dexteritate & fide, ac divites, muneri ſibi injuncto præeſſe poſſint. Si enim ſunt viri boni, & præterea ſalario quodam ad vitæ ſuſtentationem providentur, officio ſuo non deerunt: ſed Princeps potius eos ob beneficium (majoris ab ipſis quam divitibus æſtimatum) addictiores habebit.

Digitized by Google

Denique circa ſeniorem & juniorem quæ
ritur; uter alteri hoc caſu ſit præferendus? I
anteceſſum præſuppono, ceu ubique etiam fi
ri debuit, utrumque habilitate æquali e
ornatum. Cæterum potiores partes ſeni
eſſe concedendas exiſtimo; hiſce motus m
ximè rationibus: (1) Quia juvenilis ætas no
dum videtur eſſe capax prudentiæ circa neg
tia civilia ſufficientis; neque etiam promp
tudinis expeditè agendi juſtæ, ut quæ dem
uſu & crebro exercitio perficitur, & impri
in illis adminiſtris, qui ad res gerendas c
ſtituuntur, requiritur. (2) Quia juvenum i
genia ob nimis intenſum calorem, etiam ej
modi conſilia calida, ſecundum quæ actio
ſuas inſtituunt, cum periculo ſæpe amant,
propter affectus nondum compoſitos cum i
petu agunt: cum econtra ſeniores in age
ſint lenti & providi. Summa autem mal
animi illi juveniles, & hac ratione non
errant, adeoque ſeſe præcipitant, nec ſuæ
tentionis metam contingunt; quod experi
tia ſucceſſus rerum deſtituantur. Ceu Lu
vici II. Hungariæ & Bohœmiæ Regis, qu
jusmodi juvenili conſilio ad actum deduct
flore ætatis ſuæ periit, aliorumque triſt
exemplis poſteri docentur. Ut talis tem
tatis exitus noſtra opinione longe major
viorque temerario agenti ſæpius even
Quare & rectè apud Tacitum ſtatuitur:

Digitized by Google

tentiam cautus quam acrioribus conſiliis tutius haberi; Lib. XI. Annal. cap. 29. (3) Et autoritas ultimò ab annis haut exiguam vim habet: ut longè majorem ſenili, exiguam verò juvenili, ætati ordinarie adſcribere liceat; ceu illud ex communi vivendi ratione notum eſt. Atque Cicero in Caton Major. hanc ſententiam adeò veram eſſe pluribus asſerit, ut etiam autoritatem ſenectutis apicem ſtatuat. His itaque Princeps animum diligenter quoque advertat, cum utplurimum ſe tali modo habere videantur: verum ceſſantibus illis rationibus, ſicut ſubinde evenit, aliud eſt ipſi obſervandum. Nam deprehenduntur quandoque ingenia (quamvis illa rariora) tanta felicitate a fortuna donata, ut poſt modicam exercitationem ad quasvis civilium rerum expeditiones ſint parata.

Jam ad electionis modos. Non autem eſt noſtri propoſiti, omnes illos hoc loco adducere, quia ſecundum varias rerumpublicarum formas, & leges, circa earundem ſtatum ac adminiſtrationem conſtitutas, aliter atque aliter ſeſe habent: quales ſunt illi, qui electione ſunt, vel ſorte, vel utraque ratione; quorum Ariſtoteles meminit *Lib. IV. Polit. circa fin.* Et ſicut ſuffragia ſæpe ſunt ſuſpecta, ut a male compoſitis affectibus protruſa; ita ſors ad parum idoneos interdum deerrat. Videſis Tacitum *Lib. XIII. Annal. cap. 29.* Verum

nos hic agimus de electione tali, quæ a P
cipis unius indefinito, adeoque plane li
arbitrio dependet; quæque ſereno ipſiu
dicio, vel ſolo, vel etiam adjunctâ probe
conſiliariorum ſententia, peragitur.
præſtantisſima eſt electio in omni adm
ſtratione magiſtratuum, quæ non gr
non fortuito, non ſuffragiis ignoranti
multitudinis, ſed conſulto ex idoneis, vir
præditis, & ſapientioribus fit: quemad
dum rectè ſtatuit, Pet. Gregorius Tholo
de Republ. Lib. IV. cap. 5.

Aſt irregulares & improbandæ ſunt illa
ficiariorum electiones, ſecundum hodie
mores paſſim uſitatæ, quæ vel nundinati
vel ambitu, cum Principis ac reipublicæ
mo damno, polluuntur. Nundinatione
tem officiorum publicorum quod attinet
dentur illæ ſe (quotidiana experientia
ciente teſte) dividere in publicas, & cla
ſtinas. Publica ſunt, quando officia ab
perantibus certo pretio, ad fiſcum deſtin
venduntur: neque hac ratione virtutu
aptitudinis, ſed præcipuè pecuniæ, ratio ha
tur. Verum enim verò politicæ prude
profeſſores hunc modum, ut reipublica
Principi perniciosiſſimum atque fœdiſſim
acerrimè perſtringunt. Inter quos Thol
nus ante alleg. loc. de illo ita ſcribit: *Cav*
da ſummopere venalitas magiſtratu
ma

maximè quibus ineſt juridicendi neceſſitas, tanquam omnium ſcelerum fons, iniquitatis principium & finis: facit enim ambitio honorum, ut multos inveniat emptores, avaros quidem, ſed indignos, quod venale proponitur, cum etiam, quando venalia ſunt officia, multi indigni inveniantur, qui per largitiones ad dignitates prorumpere conentur.

Non minus bono publico peſtifera eſt nundinatio officiorum & dignitatum civilium clandeſtina, quæ a miniſtris, in favore ſui Principis primariis & propterea potentioribus, exerceri contingit; Principe vel non animadvertente hanc illorum malitiam, vel obiter quidem conſpiciente, ſed ad eam propter quendam ſuæ gratiæ exceſſum connivente. Ita impudenter quandoque officia, non ſolum politica, verum & (quod abominandum) eccleſiaſtica, in honorem Dei ter Opt. Max. inſtituta, auctione quaſi facta diſtrahuntur. Eſt autem hæc tantò majori reprehenſione digna, quia nullam bonæ intentionis ſpeciem præ ſe fert, neque minimum inde emolumentum ad fiſcum redundat; ſed quicquid hac ratione extorquetur, illud omne in unius atque alterius privatum commodum, & inſatiabilis avaritiæ oblectamentum, cedit.

Pari modo prudentis Principis eſt, in eo totum eſſe, ne ipſius imperium honoris immo-

deratè cupidorum ambitu commaculet
Virtutibus enim ſuis majora ſperare præm
humano generi quodammodo familiare
videtur; ratione, ſive dignitatis, ſive lucri,
etiam utriusque, ut quæ inde exſpectan
Nam divitiæ & honores ſunt illa invitam
ta, propter quæ in civili ſocietate, vel av
vel ambitioſi, ad officia publica ſibi occup
da intentione damnata, mediis illicitis,
malis artibus, ad eoque ambitus crimine, p
grediuntur. Siquidem ambitum commi
qui ob ſuam ſibi conſciam ineptitudinem
promotione ad ſpartam aliquam deſpe
falſa relatione & fictarum qualitatum ad
ſus Principem ſimulatione, aliisque adhib
circumventionibus, ſe in officium quodc
privati ſolummodo commodi cauſa, ing
atque ſic Principem decipit, reique pub
ſua ignorantia, aut etiam morum perver
te, valde damnoſus exiſtit.

Nota autem ambitum hoc loco in ge
a nobis conſiderari: nam ad ſenſum
Romani tantum ſi vocabulum acciperer
ad noſtrum argumentum non pertin
Illud enim in ſtatu monarchico, ubi conſt
tio officiariorum Principis curæ incun
hoc crimen non poſſe committi (niſi fa
obſervat; ſed in illis demum rerumpubl
rum formis, in quibus magiſtratus elec
favore populi dependet: ut videre eſt

unic. ff. ad Leg. jul. ambitus. Præterea hic obiter notandum eſt, ambitum ab ambitione, de qua ſupra diſſeruimus, tali modo differre, ut ille actum vitioſum, hæc verò ipſum animi vitium, demonſtrent.

Hanc autem politicam contagionem Princeps, ne inde corpus civile inficiatur, quoque ſumma cura atque providentia avertat. Sed vero bene ipſi inter ambitum & modeſtam provinciæ alicujus petitionem eſt diſtinguendum. Neque enim illum, qui ſuis virtutibus, & huic propoſito paribus, ſubnixus ſpartam quandam ordinario modo & honeſto fini, petit, Princeps temere repellere debet. Siquidem ejusmodi petitio in nuda oblatione qualitatum, officio deſiderato non indignarum, laudanda potius, quam rejicienda eſt: nam aliud eſt ambire quoddam munus publicum illegitimis mediis, & longe aliud eſt, idem modeſtè & honeſta ratione petere. Prior intendit tantum commodum proprium, cum publicæ ſalutis decremento: poſterior vero maximè bonum commune reſpicit, & ſecundario ſaltem honeſtam vitæ ſuſtentationem.

Verum ut tandem huic diſcurſui finem faciamus, unicum adhuc notari debet, a Principe obſervandum; ſcilicet ne in eligendo ſuis affectibus, præſertim odio & amori, habenas nimium relaxet. Hiſce enim duabus animi perturbationibus, ſine cauſa commo-

Digitized by Google

motis, ſapiſſime electio hæc corrumpitur;
aliquatenus a prudentiæ tramite avocat
ut ex iniquo odio idoneum rejiciat, & præ
mio amore inidoneum in ſuorum miniſtror
numerum recipiat; ſicut hujus celeberri
occurrunt exempla. Quod attinet amor
principis, hac occaſione excedentem, *n*
tam nocet, quam virtutis præmium pro
vore alterius diſtribuere: quare ubi off
ex favore dantur, ibi res male cedunt:
non ineleganter & recte concludit Cam
nella *de Monarch. Hiſp. cap.* 13.

Solent autem Principum quoq; animi p
ſiones non raro inclinari per inſtrumenta,
illos homines (maſculini & feminini gene
quos habent familiares, quive in flagra
apud ipſos ſunt gratia: ac benevolentiam h
ii, Principis ſui nimirum favore calentes, a
bientibus canditatis exhibent; ducti ſive
micitia quæcunq;, ſive lucello, interdum eti
cæco quodam omnibus inſerviendi ſtud
& importuna officioſitate. Magna aut
hinc in regimine occurrit ſæpe enormi
quando principes ad commendationem qu
rumlibet (etiam illorum, qui non pollent
ingenii acumine, ut de ambientium idon
tate ſine errore quicquam judicare poſſin
ejusmodi homines ad munera publica, ſ
politica, ſive eccleſiaſtica, & ſcholaſtica, c
maximo ſuo damno admittunt. Quare eti
at

atqui etiam mei Principis prudentiæ committo, ut ſibi ab hoc vitio æquè, ac aliis paulo antè notatis, diligenter caveat, & ad principatus ſui incolumitatem, ſibi & civibus ſuis, atque ipſi Deo, habiles conſtituat miniſtros.

CAP. IX.

DE *Electione Conſiliariorum; & ipſis hinc conſiliis.*

CUm deliberatio ſit, vel ſolitaria, quam Princeps ſolus ſuſtinet, vel ſocia, quando alios in conſilium ſibi adjungit; ſicut Keckermannus hanc diviſionem facit *Syſtem. Ethic. Lib. I. cap. 1. & paſſim*; atqui de ſolitaria hactenus ſatis actum ſit: pergit ergo noſter diſcurſus ad conſiliarios, & ipſa dehinc conſilia, ut quæ electioni conſiliariorum hac occaſione utilitatis ſuæ cauſa ſunt adjungenda. Nam cum unius Principis intellectus multitudini negotiorum civilium dirigendorum, atqui etiam ponderi eorum, haut ſufficiat, oportet, ut cumprimis quoque hic ſibi in humanæ imperfectionis ſupplementum bene conſulat. Siquidem *eum, qui de ſua unius ſententia omnia gerit, ſuperbum judico magis quàm ſapientem*; dicit Livius *Lib. XXXXIV.* Po-

tius regulam, quam Fredro inter Monita
litico-moralia refert, in uſum ſuum con
tat: *Non ſapias*, inquit, *ex ore tuo tant*
ſed boni conſilii (*& dictorum*) *quod et*
ab alio provenit, ſis amicus & fautor, q
eſt generoſi animi & virtuoſæ mentu
gnum: part. III. Monit. 22. Cum hac doc
na conveniunt, quæ Alexander M. (quan
cæteroqùin ingenti prudentia celebris)
fitetur, videlicet *fortuna ſua & conſiliis*
rum ſe uſurum eſſe; nam & fortunam
confidat, & conſilium ſuadentium, ne
temere & audacter faciat, ſequutur
apud Curt. Lib. VII. cap. 9. Qui vero
perantium hæc ſusque deque habeat, m
ne ille propterea in temeritatis opinionem
imprudentiæ ſuæ celandæ ſuſpicionem
alios incurrat; vel ſaltem arrogantiæ, ab
nentia civili impreſſæ, indicium, ſuo ſuo
que cumprimis civium malo, oſtendat.

Sicut autem cæteri miniſtri ei inſer
actionibus ipſis & negotiorum expedit
ita conſiliarii prudentia ſua & conſil
dexteritate illius intellectui ſuccu
Quantopere ergo imperantis referat, præ
tiſſimos ad hanc rem ſibi exquirere ho
vel ex eo palam eſt, quod conſilia inſtar
rum ſint, ad quas omnes actiones p
ducantur, adeoque unde ſuam rectitu
ac bonitatem aſſumere debeant. A pr

enim cauſa producitur etiam, ſi vires ſuas intendit, prudens effectus, id eſt, tale conſilium, cujus imago prudentiam referat exquiſitam. Ad hæc ſilentio præterire haut licet, quod ex converſatione continua & conſiliorum tractatione cum ejusmodi conſiliariis, omnibus numeris abſolutis, ſuam prudentiam oppidò adaugeat Princeps, eamque paulatim horum prudentiæ valde conformem reddat; in ſuam cumprimis gloriam, & totius poſtmodum principatus ingentem utilitatem. Hac enim ratione ideas prudentiæ eorum exquiſitas ſucceſſu temporis in animum ſuum transmittit, adque uſum conſervat; idque per accidens, & absque omni addiſcendi tædio, imò potius cum quadam voluptate. Unde Saavedra Symbol. XXVIII. *Plurimum quoque lucis,* inquit, *dabit viribus principibus communicatio cum tot ac tantis ingeniis, quæ cum iis agunt quotidie, atque ad audientiam verba & rationes multum ac diu cogitatas adferunt.* Eſt enim regnum *ampliſſima* (ceu pergit idem in ſubſequentibus) *imperandi ſchola, in qua miniſtri ſummis ingeniis præditi, & experientia inſignes, negotia cum Principe conferunt.* Verùm Princeps meus cumprimis caveat, ne in hanc claſſem impios ac ad flagitia pronos admittat: territus exemplo, tum aliorum; tum quoque Veſpaſiani, inter initia imperii ad obtinendas iniquitates

haut

haut perinde obſtinati, donec indulg
fortunæ & pravis magiſtris didicit, autu
eſt: teſte Tacito *Lib. II. Hiſtoriar. cap.*
Quam ob cauſam Henricus VII. Rex An
ad ſanctius conſilium plurima negotia r
rebat (ut Verulamius de ipſo memorat
frequenter & ipſe præſidebat; ſatis gna
hoc pacto ſe via recta & ſolida inſiſtere,
ad autoritatem ſuam roborandam, q
ad judicium ſuum informandum. Ad q
etiam finem patiens fuit libertatis co
tam in ſuadendo, quam in ſuffragia fere
donec animi ſui ſenſum, quem ad finem
liberationum reſervare ſolebat, declara

Ad conſiliarii autem perfectionem q
maxime conſideranda eſt prudentia. In
pite præcedenti quidem qualemcunque, t
quam generale attributum, in omnibus
niſtris, requiſivimus; ſed hic in ſupre
gradu illa eſt opus, atque tali, quæ ampli
ma ſubnixa cognitione, non ſolum univer
lium principiorum politicorum, verum
principatus illius, in quo conſiliarius eſt co
ſtitutus, nec non quoque vicinarum reru
publicarum; ceu jam ante in capite 2. p
ribus fuit oſtenſum. Illud tamen hic po
obſervari, quorumvis conſiliariorum cur
non ſemper ſe ad omnia negotia extende
quæ ſub prudentiam ſenatoriam cadunt;
interdum aliquibus ea, quæ ſtatum in ſpe
at

attingunt, unde Eſtats - Räthe; aliis ad reditus pertinentia, qui Kammer-Räthe; atqui aliis militaria, qui Kriegs-Räthe/ indè appellantur, & ſic deinceps, committi: ut in illo negotii genere, quod cuique injunctum, cumprimis ipſum excellere oporteat.

Neque tantum hoc loco deſideramus prudentiam ab uſu ſeparatam, quam ſcientiam politicam ſive (ut quibusdam placet) ſcientiam de prudentia, appellare convenit; verum illam, uſum perpetuo reſpicientem, & practicam. Differunt enim hi duo habitus, ut qui theoreticum habet, non ſemper practicum habeat, & hic illo ſit multo præſtantior atque nobilior: confer Ludovicum Septalium *de Rat. Stat. Lib. I. cap. I.* Imo ille ſit *cognitio* (quemadmodum Cicero loquitur) *contemplatioque naturæ manca quodammodo atque inchoata, ſi nulla actio rerum conſequatur.* Et vero tantum abeſt, ut ſcientia ſaltem politica inſtructus ſit idoneus ad conſilia ſuppeditanda, ut potius Principem ad maximos errores & pericula quandoque abſtrahat: niſi etiam uſu & experientia rerum gerendarum, adeoque judicio practico, valeat, ut agibilia ab iis, quæ ſive abſolutè, ſive ratione circumſtantiarum, a ſuo Principe actu exprimi nequeunt, bene ſeparare noverit. Cum ſcientia civilis a praxi ſeparata conſilia etiam approbare ſoleat, quæ interdum ab experientia rejiciantur: *V. Saavedr. Symb. XLVI.*

Plu-

Plurimum vero ad excellentiam prudentiæ confert ingenium rebus gerendis deditum, velut fundamentum eidem ab alma natura ſubſtratum. Quemadmodum interdum magnum acumen ab hujus vi circa actiones obſervare licet: oſtendit hoc quotidiana rerum humanarum experientia; conteſtantur res paſſim præclare geſtæ, & in hiſtoriis ad perpetuam memoriam deſcriptæ; nec deſunt in eundem finem conſilia & ſtratagemata bellica ingenioſe adinventa, vel uſurpata. Talem ſuo tempore fuiſſe Alcibiadem, notat Cornel. Nepos in ejus vita. Ingens autem hinc hominum varietas exiſtit. Atqui ſunt quædam ingenia, cumprimis ſi ab uſu & exercitio præterea ſint expolita, in eo præ aliis ita fœcunda, ut & aliunde petita præſenti negotio prudenter & feliciter applicare, & quoque ingenii ſui viribus nova, & haut exiguo cum emolumento Principis, adhibere poſſint. Imò *tam divite ingenio nati ſunt nonnulli, ut, quamvis ſolis natura fuerint dotibus inſtructi, ſic ſatis feliciter tamen reipublicæ clavum regant: imò dubiam faciant palmam multis, qui regendæ civitatis prudentiam moleſta opera didicerunt;* ceu Conringius Præfatione ad Lectorem Propoliticis ſuis præmiſſa obſervat.

Sed dubio non caret inter politicos; an Principi talia ingenia, in ſupremo gradu acuta

ta & ignea, ad conſilia ineunda præ aliis eligere, etiam expediat? Plurimi mediocria malunt, illa ſubtilia hinc ablegantes. Aſſertionis hujus tres rationes leguntur apud Lipſium: *Prima, quod velocia iſta ingenia ſemper movent aliquid, & nec quieta quieta ſinunt. Altera, quod in multiplici inventione, & rationum copia plerumque natant, & ægre expediunt aliquid, cui inſiſtant. Tertia, quod ea ſibi proponunt, quæ non ſunt, non erunt, & mentem conſiliaque adverſarii æſtimant a ſubtili ſua mente.* V. Not. ad Polit. Lib. III. cap. 4. Sebaſtian. Cæſar de Meneſes eandem ſententiam exemplis comprobat: *Athenienſes brevi temporis ſpatio,* inquit, *quinque reipublicæ mutationes periculoſè experti ſunt; rebus quippe gerendis præerant ingenia elevata & ſublimi acumine nimia vehementer. Veneti econtra ſuæ felicitatis diuturnitatem, quibus reguntur ingeniis mediocribus acceptam referunt:* Tit. I. cap. 5. Exinde præterea opinio hæc haut modicum robur accipere videtur, quod ejusmodi conſilia acuta & ſubtilia expeditu tantò ſint difficiliora, quantò longius illud acumen a communi agendi ratione abeſt, & propterea ad felicem exitum ſæpius non perducantur; in ipſius Principis inevitabile damnum & periculum. Nam inveniunt illi homines ſua ingenioſitate exqui-

ſita

ſita quidem media; ſed quæ, vel ad naturam ſpeculativorum valde inclinent, vel verò in abſtracto conſiderata ſaltem practibilia videantur, attamen nec in ſpem optati ſucceſſus ſingulari ſubjecto attribui commodè poſſint.

Cæterum & hoc circa prudentiam conſiliariorum conſiderari poteſt; an in illis qua talibus quoque neceſſariò requiratur jurisprudentia? Nam ut conſiliarius circa futura, quærendo media utilia ad propoſitum finem adipiſcendum, vel malum imminens avertendum, verſatur; ita jurisprudentia in præteritis judicando, quid juſtum, quidve injuſtum ſit, ſuas vires explicat. Verum cum rationes, quibus conſilium ſuggerens ſuam ſententiam (ſive affirmativam, ſive negativam) corroborare laborat, ex prudentia judiciaria partim eſſe petendas contingat; vel propterea juris, maximè gentium & naturæ cognitionem in ipſo appoſco. Exemplo inter alia ſit materia bellica: quoties enim de bello futuro agendum eſt, antè examinare oportet, an juſtæ ſubſint cauſæ, & in quantum, quàm in deliberatione ad cætera hujus negotii pergere liceat; ſicuti ſuprà in capite 6. etiam docuimus. Ita & Ariſtoteles *Lib. IV. Politicor. cap.* 14. quædam inter capita reipublicæ partis ſenatoriæ recenſet, quæ ex principiis juris deciſionem poſtulant. Confer etiam Sagittarium *de Civili converſat. Diſput. II. Theſ.* 78.

Ve-

Verùm ut juris notitia conſiliarii prudentiam conſultativam juvat; ita huic notam inurunt, cumprimis obſtinatio animi (quocunque etiam affectu male compoſito concitata) & adulatio. Eſt autem obſtinatio ſive pertinacia in conſiliario vitium, ingentia ſubinde complicans incommoda. Nam inveniuntur, qui vel tanti faciunt ſuam prudentiam, ut nihil niſi a ſe prolatum eſſe ingenioſum ſibi imaginentur: ſua eruditione ſuperbi, vel quod in autoritatis, quam de ſe ipſis conceperunt, decrementum (neſcio, quo animi errore) vergere putant, quoties collegas a ſua ſententia alienum quid ſuſtinere vident; atque hac ratione eorum mentes confundunt, libertatem proferendi opinionem ſuam conſtringunt, negotia civilia turbant, adeoque bono publico vehementer obſiſtunt.

Accidit ad hoc, quod ex ejusmodi obſtinatione animi, tanquam matre, diſcordiæ pernicioſæ inter hoſce pullulaſcant, ſimultatesq; & alia turbamenta enaſcantur, atque magis magisque vires acquirant: ut tandem Principi nulla ſpes vera & ſana conſilia colligendi ſuperſit; aliis ad rixarum moleſtias devitandas, vel pertinacium illorum invidiam declinandam, aliis vero ne gratiam talium, ut ſuorum fortaſis patronorum, abrumpant, genuinam animi ſui ſententiam ſupprimentibus. Deprehenduntur ejusmodi ſidera, Principibus

bus ſic ſatis infelicia, haut rara. Pernicioſ illa qualitate clarus fuit ſuo tempore Lacc prætorio præfectus (cujus meminit Tacitu *Lib. I. Hiſtor. cap. 26.*) conſiliorum, quanquar ad prudentiæ normam compoſitorum, & ſa lutarium, quorum ipſe non eſſet inventor ſemper inimicus, & adverſus peritos pervicax Eandem animi imbecillitatem in Ceſennic Pæto notat quoque Tacitus, ſcilicet ne aliena ſententiæ indigens videretur, in diverſa ac deteriora tranſiiſſe; *Lib. XV. Annal. cap. 1*6 Cumprimis quoque hæc perverſitas anim contrahitur ab invidia: vel etiam æmulatione, quæ magnam hoc caſu efficaciam exſerit; ut Corn. Nepos *in Vit. Attici cap. 5.* inter Ciceronem & Hortenſium, velut inter quos tanta laudis eſſet æmulatio, prudenti moderatione Attici tamen nullum interceſſiſſe obtrectationem, tanquam rarum quid cum magna admiratione obſervet.

Ad conſilia verò in civili ſocietate ſuppeditanda qui conſtituuntur, Præcepti illius, quod Keckermannus *Syſtem. pol. Lib. I. cap. 7.* iſthac occaſione præſcribit, tenaces potius ſint obſervatores: *Conſiliarius*, inquit ibidem, *non ſit arrogans, nec contentioſus: ſed placide ferat contrarias aliorum ſententias, nec obſtinate pugnet, nec ſit inimicus iſti conſilio, cujus ipſe non eſt autor.* Nam *niſi inter conſiliarios* (quemadmodum pro more ſuo & in

hoc

hoc caſu graviter ſtatuit Saavedra) *una eademque voluntatum conſpiratio, unus idemque finis pari conſenſu connitendi ad conſilium optimum & maxime proficuum, ita ut nec odium, nec amor, nec exiſtimatio propria in diverſas eos trahat opiniones, confuſus hærebit Princeps & dubius; neque ſat ſcire poterit, quam potiſſimum partem in electione melioris conſilii amplecti debeat.* Symbol. LV.

Ut Principis, Conſiliarium ab obſtinatione animi, & adeò omni prorſus affectu acerbo, aliave ratione enormi, immunem eſſe, maximè referat; præſertim tunc, quando una cum ſuis collegis circa conſilium inveſtigandum occupatus. Cum & ob perturbationes animi vehementiores ſententiæ ſuæ homines plerumque pertinaciter inhærere ſoleant; vel contra aliorum, etiam rectè ſentientium, opinionem. Atqui *omnes homines* (ſecundum mentem C. Cæſaris apud Salluſtium Bell. Catilinar.) *qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haut facilè animus verum providet, ubi illa officiunt: neque quiſquam omnium libidini ſimul & uſui paruit. Ubi intenderis ingenium, valet, ſi lubido poſſidet, ea dominatur; animus nihil valet.* Quamobrem laude digna eſt conſuetudo inter Senatores Venetos (quemadmodum Came-

merarius commemorat *Hor. Succiſiv. Cent. I. cap. 33.*) uſitata, quando in curiam ad conſultandum de negotiis publicis convenientes, ante veſtibulum ejus inimicitias & ſimultates inter ipſos apud S. Marcum, uti mos loquendi illis eſt, deponunt, ut animum ab affectibus in conſiliis publicis liberiorem habere poſſint. Huc & referenda elegans inſcriptio, quæ in curia Ratisbonenſi conſpicitur, ac apud eundem Autorem allegat. loc. notata legitur: *Quisquis ſenator curiam officii gratia ingrederis, ante hoc oſtium privatos affectus omnes abjicito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationem; Reipublicæ perſonam & curam ſubjicito. Nam ut aliis æquus, aut iniquus fueris: ita quoque Dei judicium exſpectabis, & ſuſtinebis.*

Sed obſtinatio cum animi paſſionibus ab uno latere, adulatio vero ab altero prudentiam conſilium conferentis afficiunt, atqui perturbant. Nam ut pertinaces & contentioſi ſententiæ ſuæ obſtinatè adhærent, contra collegarum opiniones; indomitis potius affectibus, quam recto judicio & boni communi ſtudio, eò compulſi: ſic adulatorum proprium eſt, ſe aliorum placitis ſubmittere, & cogitationes mentis, vel contra conſcientiam utilitatis maximè ſuæ cauſà eorum voluntat accommodare. Quippe adulatorum orati in faucibus naſcitur, non in corde, & verb

e

Digitized by Google

rerum a ſummis labris proveniunt. Hinc *aſſentatores non quæ conducunt, ſed quæ Principi placent, ac grata ſunt, coſulunt*; ut dicitur apud Gaſp. Ens Nucleo Hiſtorico-polit. Peſſima autem animi macula eſt aſſentatio, qua ſub ſpecie veræ prudentiæ Princeps pernicioſiſſimè decipitur. *Cum ii* (ceu perquam eleganter dicit Saavedra Symbol. VII.) *qui Principum adhærent lateribus gratiam quoque eorundem plerumque aucupentur, eaque voluntatis beneficio potius quam rationis potiri ſe poſſe ſciant. Hinc omnes adulandi utuntur artificio, atque illam quidem ſibi reddere benevolam, huic vero caliginem offundere ſatagunt.* Veritati enim, quæ tanquam effectus quidam ab intellectu exiſtit, adulationem officere, vel ſuo tempore Tacitus circa res civiles obſervavit: ceu videre eſt *Lib. VI. Annal. cap. 38.* Qua de cauſa Agapetus quemvis Imperantem diligentiſſimè monet, ut ab hac hominum pernicioſorum genere abſtineat: *Omnibus modis*, inquit, *averſare fallaces adulatorum ſermones, non aliter quam rapaces corvorum mores. Nam hi corporis oculos effodiunt, illi verò judicia animi excæcant, rerum veritatem cernere non ſinentes*: Præcept. 12. Atque hinc blanditias peſſimum veri affectus venenum, & aſſentationum erga Principem quemcunque ſine affectu (ſcilicet ſincero) per-

agi; adulatoresque libentius cum fortunâ principum, quam cum ipſis loqui; ex vero ſtatuit Galba apud Tacitum *Lib. I. Hiſtoriar. cap. 15.* Quapropter Principis commodo, atque totius principatus ſaluti, nulli infenſiores inimici quam aſſentatores; ſed tamen nullibi quam in aulis magnatum ſunt frequentiores. Indicio autem hoc videtur eſſe, Principes, qui illas nocivas beſtias intensè amant, atqui etiam alunt, magis in ductum cupiditatum ſuarum & vanæ opinionis eſſe ſequaces.

Et ſanè in periculoſiſſimo illos exiſtimo ſtatu ac conditione eſſe poſitos, qui ejuſmodi aſſentantium blandimenta magni æſtimant, & conſilia eorum, tanquam prudentia & candore plena, accipiunt, ſuarumque actionum regulas eſſe ſinunt: donec propoſitum mutaverint, & falſorum illorum conſilialiorum vanis ſermonibus prætulerint prudentiſſimorum ſenatorum honeſtas adminiſtrationes. Quamobrem potius ad ſententiam Auguſtin. Niphi, gravis ſuo tempore philoſophi, *viros, qui prudentia fide atque virtute alios excellant, dignis honoribus honeſtet; adulatores vero, affectos ignominia, penitus abigat: ne plus malorum improbitas, quam bonorum virtus & merita ab ipſo capere videantur:* de Reg. & Tyrann. cap. 19. Ubi verò illi homines autoritate Principis florent, ibi

ibi vitia virtutum nomina induunt, boni viri & honeſtatis amantes continua perſecutione fatigantur, ac totius reipublicæ ordo temeritate hac armata concutitur: ut ex tetrica illa corruptione tandem præter funeſtum exitum quandoque nihil videatur reliquum. Quid autem: an ergo nulla ratione adulatio in civili ſocietate eſt toleranda? Dari caſus, fateor, quibus cum utilitate, imò neceſſariò permittitur; modo ſit talis, quæ ad commune bonum agat, & honeſtatis fines non transgrediatur: ceu in altera hujus capitis parte ulterius dicetur.

Cæterum e diametro prudentiæ oppoſita eſt imprudentia, ſive ignorantia. Quamvis prudentiæ civilis habitu prorſus deſtituti ad conſilia danda ſint ineptiſſimi, tamen interdum callida adulatione, vel etiam ſtultitia quadam ita ſe in gratiam principum inſinuant, ut hi illis benignam ſæpe aurem præbeant: utinam & animum totum non concederent, aut ad intima regiminis eos non admitterent. Sed contingit haut rarò, ut verba illorum apud Principem multum valeant; quaſi inter ingenioſam joci inventionem & bonum conſilium nihil, vel parum, interſit. Providentia itaque magna hic opus eſt: animum Principis joco ſubinde reficiant, & ad conſervandam ſanitatem (quod permittit etiam Imperat. Manuel Paleolog.

de Educat. Reg. ad Fil. Precept.79.) gravioribus curis relaxent; ſed manus illotas a gubernaculo reipublicæ abſtineant. Neque enim poſſunt propter ignorantiam ſuam hic Principi prodeſſe, neque etiam ob malitiam ſæpe, & commodi privati enormes conatus, volunt. Quare fruſtra ab ipſis bona conſilia pro accremento reipublicæ ſperantur. Nam impoſſibile eſt, ut effectus nobilitas ſeſe ultra agentis virtutem extendat. Quicquid enim eſt in effectu (ut habet canon philoſophicus) præexiſtat in cauſa, oportet.

Hactenus de prudentia, tanquam primario attributo in conſiliario obſervanda, dictum eſt: ſequitur ſecundo taciturnitas, ut quæ etiam neceſſario in eo, cujus prudentia deliberativa Princeps uſurus, requiritur. Hic autem non loquimur de taciturnitate in genere, qualem doctores ethici cuivis homini in converſatione præſcribunt; ſed in ſpecie de ea, quæ in foro politico uſum habet, quæque circa conſilia & arcana ſtatus comprimenda occupatur. Eſt autem & illa in reipublicæ gubernatoribus & conſiliariis egregia virtus: quam optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum appellebat Val. Maximus *Lib. II. cap. 2.* Et juxta ſententiam Vegetii *nulla conſilia meliora ſunt, quam illa, quæ ignoraverit adverſarius, antequã facias.* Niſi enim conſultantiũ decreta arctiſſimo ſi-

ſilentio involvantur, omnem amittant efficaciam, ut ſuum effectum non ſortiantur. *Principum*, inquit Forſtnerus ad Tacitum, *conſilia, in vulgus edita, & non, qua decet, religione ſecretè habita, hoſtes potius quam illos inſtruunt.* Ad Lib. II. Annal. Eadem ratione nec civilis communionis ſalus diu continuari, niſi arcana, quibus negotia interna, vel externa, quaſi innituntur, intra gubernatores regnorum eorumve vicarios ſanctiſſimè contineantur. Qua de cauſa quoq; veteres magnam curam hoc in caſu oſtenderunt, conſuetudine introducta, vel etiam lege ſancita, graviſſimam pœnam in divulgatores ſecretorum reipublicæ conſtituentes; ceu ex iis, quæ Tholoſanus *de Rep. Lib. XXIV. cap. 6. n. 7.* adducit, patet. Summa admiratione dignus hac in re eſt mos Perſis olim ſtrictiſſime obſervatus, arcana Regum mira fide celantibus; non metus, non ſpes eliciebat vocem, qua proderentur occulta; vetus diſciplina Regum ſilentium vitæ periculo ſanxerat: teſte Curtio *Lib. IV. cap 6.*

Nec non tertio Princeps in eligendo hic ſpeciatim ætatis rationem habere debet. Nam ſenes ad conſilia, ut juniores ad executiones, tutius impenduntur. Quod indicant etiam verba Ariſtotelis VII. *Polit. cap. 9.* quando dicit: *Reſtat igitur ambobus ipſis tribuere rempublicam hanc; non autem ſimul, ſed*

ut natura fert. Robur enim in junioribus, prudentia autem in senioribus. Qua de cauſa quoque Deus ter Opt. Max. in republica Hebræorum ſeptuaginta viros, ætate, adeoque & prudentia graves, in conſilium magnum ſive Senatum colligi juſſit: de quo argumento etiam videatur Carol. Sigonius *de Republ. Hebraor. Lib. VI. cap. 4.* Huc & facit proverbium illud Germanorum: alte Leute/alte Rencke/alte Füchs alte Liſt. Nec minus hanc aſſertionem admodum illuſtrant, quæ Cicero in Caton. Major. producit: *Non facit ea,* inquit, *quæ juvenes; at vero multo majora & meliora facit: non enim viribus aut velocitatibus, aut celeritate corporis res magnæ geruntur, ſed conſilio, autoritate, ſententia; quibus non modo non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet.* Propter illam ipſam rationem in Republica Romana adhuc florente prudentiſſimè *delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reipublicæ conſultabant: hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine Patres appellabantur:* teſte Salluſtio Bell. Catilinar. Furius Ceriolanus, & qui ejus ſententiæ adhæret, Hippolytus a Collibus, ut certum definiant tempus, illud ætatis ſpatium, quod eſt intra trigeſimum & ſexageſimum annum, huic functioni regulariter dedicant convenientiſſimum; attamen cum illa animadverſione, bene

ne

Digitized by Google

ne hic obſervata, ſcilicet & juvenes triginta annis minores, & quoque ſenes ſexaginta majores ſubinde inveniri ad conſilia danda ſatis aptos. Ut ætas quidem hoc in caſu a Principe conſiderari poſſit, ſed magis animi qualitates, bonum conſiliarium determinantes.

A requiſitis progredimur ad numerum: dubitari enim poſſit, num pauci a Principe ſint eligendi, quorum fidei atque curæ tota res committatur; an verò plures, qui conjunctam operam hic ipſi navent? Nam ſolet interdum principum favor in paucos, vel unum etiam aliquem incidere, ad cujus ſolius nutum majora reipublicæ negotia expediuntur: qui ſi contingit bonus & prudens, imperium utcunque ſuccedit; ſin vero vitioſus & imprudens (velut ſæpiſſimè accidit) Principem cum republica paulatim in maximum diſcrimen adducet. Videſis Richterum *Axiom. Pol.CLII.* cum ſubjunctis exemplis; item Keckermannum *Syſtemat. Pol.Lib.I. cap.7.* alioſque, qui hunc morem, ceu perniciosum & periculis plenum, vehementiſſimè perſtringunt. Etenim cum Princeps unum vel alterum ſingulari gratia, & creberrimè citra meritum, præ cæteris evehit, ac tanti facit, ut nihil, niſi quod ab ipſius conſilio formam habet, agi permittat, metus eſt, ne illum, ſi probus, hisce inſueti favoris radiis corrumpat, ſin verò improbus,

ſic deteriorem reddat, & illius perverſitatem potentia communicata in ſuum detrimentum ſolummodo armet. Eſt præterea conſultare de rebus civilibus res maximè ardua, & tanti momenti, quæ non unius vel alterius, ſed plurium ſanè prudentiſſimorum accuratam inquiſitionem depoſcat. Nam plurima hic occurrunt, non cuivis ſtatim, neque ex quotidiana praxi, neque aliunde, obvia, quæ conſociata demum diligentiæ omnium eruuntur.

At verò, ut conſiliariorum paucitate, ita & multitudine ſuis rebus Princeps obeſſe poteſt. Quoniam, *ubi magnus eſt conſiliariorum numerus* (quemadmodum ſæpe laudatus Saavedra teſtatur Symbol. LV.) *retardantur conſultationes, ſecretum in periculo eſt, & confunditur Veritas.* Sed Principis judicio committendum eſt, ut pro negotiorum occurrentium magnitudine conſiliariorum numerus definiatur. Nam impoſſibile foret, hic aliquid certi determinare in abſtracto; cum rerum politicarum, quæ ope conſiliariorum indigent, conditio aliter atque aliter ſeſe habeat, pro ſocietatum civilium varietate.

Atque ita perpenſis omnibus, quæ ad prius hujus capitis membrum referre placuit: reſtat, ut ad alterum pergamus, quod eſt de ipſis conſiliis. Non autem nobis hic eſt propoſitum agere de conſilio, quatenus pro operatio-

Digitized by Google

ratione mentis interna, deliberationem quandam agitantis, uſurpatur; neque etiam de eo, quatenus concluſionem aut decretum ex conſultatione habita (velut ſuprà in capite 4. vocabulum fuit acceptum) denotat; aut denique collegium conſiliariorum, ceu apud Curtium *Lib. IV. cap. 11.* quando ſcilicet is de Alexandro dicit, quod *conſilio advocato* legatos, Darii nimirum, introduci juſſerit: ſed in quantum actus deliberativus de negotiis politicis inter plures inſtitutus, per illud indigitatur; quemadmodum & a Tacito accipitur *Lib. XVI. Annal. cap. 26.*

Ac eſt doctrina hæc vel propterea neceſſaria, quod ſimul etiam conſiliariorum uſum, ſive quomodo Princeps iiſdem, tanquam cauſa inſtrumentali, uti debeat, oſtendat. Nam quid juvat inſtrumentum, niſi principalis noverit id ipſum bene dirigere in eum finem, cui eſt deſtinatum, & ob quem ei inſervit.

Ut autem ordine quodam & diſtinctè procedamus, in quinque membra, ſive partes principaliores, quicquid eſt hujus negotii, cum politicis diſtribuemus: ſuntque illæ ſequentes; (1) *Propoſitio.* (2) *Votorum Rogatio.* (3) *Dictio votorum.* (4) *Examen votorum.* (5) *Concluſio.* Propoſitio eſt, qua Princeps (vel per ſe, vel ipſius nomine alius) intentionem, hactenus animo ſuo inhærentem, conſiliariis notam facit, eorumque ſen-

tentiam, accurata prudentia inventam ad finem hunc commodiſſimè obtinendum, requirit. Pertinent autem huc omnia, quæ ulla ratione ſub civilem deliberationem cadunt: ſive ſint interna (ut ex præcedentibus rerum memoriam refricem) ſive externa; ſive bona conſequenda, ſive mala averruncanda; ſive plura media, quatenus ex iis optimum eligendum; ſive denique ſit aliquid circa conſilium in actionem deputatum, ad faciliorem negotii expeditionem. Nam hæc omnia ſunt talia, quæ hominum doctrina & rerum politicarum experientia celeberrimorum, prudentiam & dexteritatem deſiderant.

Proponi autem debent illa (1) plenè (2) clarè. Niſi enim Princeps rem cum omnibus ſuis circumſtantiis denudari conſilium ſuppeditaturis curaverit, haut perfectam illi concluſionem reddent. Sed quoties quæſtionis ſtatum plenè non perceperint, vel pericula, vel ſaltem difficultates in conſilio remanebunt, ipſam actionem facilè tardatura. Non tamen ſuam ſtatim ſubjungat ſententiam Princeps; ut effugiat malum, hinc metuendum, ſcilicet, ne illi ab autoritate ejus potius, quàm ſua prudentia, vota conferant. Conſultum itaque eſt, ut ſe ad exemplum Auguſti Imperat. hoc caſu componat; de quo Seb. Cæſ. de Meneſes ita dicit. *Ultimus ab omnibus ſuffragium in Senatu ferebat Auguſtus: neque, quid ſentiret,*

Digitized by Google

ret, prius ab aliquo ſentiri potuit, quàm omnes liberè ſententiam dicerent: ne unquam æquitas ab officio flecteretur, aut ab adulatione juſtitia. Summ. Pol. Tit. I. c 6. Claris præterea, & ſignificantibus verbis quæſtio in Senatu ventilanda hisce explicari debet, non autem intricatè; quò mentem Principis tantò melius aſſequantur, atque ad ipſius deſiderium, inveniendo medium ad ſcopum attingendum aptiſſimum, eò propius accedant.

Propoſitione verò ita facta incidit dubium hoc; videlicet, an in continenti, ſive continuato actu, poſtulare vota expediat, an verò conſultius ſit, ut aliquod temporis ſpatium, quo conſiliarii rem propoſitam mente perpendere & diligenter examinare, adeoque domi interdum mutos ſuos doctores conſulere poſſint, ſit concedendum? Quamvis ubique poſterius non adeò accuratè quidem attendatur; eſt tamen, niſi rei conditio maximam feſtinationem imperet, ſummè neceſſarium, ut aliquod ſaltem deliberandi tempus a Principe permittatur, quo unusquisque ad votum ſuum conferendum paratus accedat. Nam ſi hoc non bene obſervaverit, a conſiliariis ſuis habebit conſilia extemporanea, immatura, & per conſequens imperfecta; imò ſæpe erronea. Quoniam deliberationis negotio, ut rei maximè arduæ, tantò major mora ac

cæteris eſt attribuenda, quantò plus in ipſius magnitudine eſt poſitum. Liceat præterea ad autoritatem, huic aſſertioni conciliandam, Utopienſium conſuetudinem, ab interioribus prudentiæ civilis penetralibus petitam, ex Thoma Moro huc adducere: *Quin id quoque moris habet Senatus* (dicit Lib. II. cap. de Magiſtrat.) *ut nihil, quo die primum proponitur, eodem diſputetur, ſed in ſequentem Senatum differatur, ne quis, ubi quod in buccam primum venerit, temere effutierit, ea potius excogitet poſtea, quibus decreta tueatur ſua, quàm quæ ex republica uſui ſint: malitque ſalutis publicæ quàm opinionis de ſe jacturam facere, perverſo quodam ac præpoſtero pudore, ne initio parum proſpexiſſe videatur, cui proſpiciendum initio fuit, ut conſulto potius quàm citò loqueretur.* Proderit præterea hic conferre, quæ Forſtnerus ad Tacitum *Lib. XV. Annal. c. 61.* ibi: *Poppææ & Tigellino coram, quod erat ſævienti Principi intimum conſiliorum;* eleganter quoque circa hoc argumentum disſerit.

Poſt propoſitionem ſequitur rogatio, quæ cujusque ſuffragium circa propoſitam quæſtionem exigitur. Quantumvis liberum quidem videatur, quo ſuffragia ordine ſint poſtulanda; magis tamen prudentiæ atqui ſecuritati rectè factæ conſultationis convenit, ut

ab

ab infimo initium fiat, propter rationes veriſſimas, quæ exſtant apud Keckermannum in Diſcurs. polit. de Conſiliis & Conſiliariis; cum verba ſint egregia, non poſſum, quin hoc loco adſcribam: *Damus hic*, dicitur ibidem, *ſalutare Principi conſilium, ut ſemper ab infimo quoque, & cujus invalida adhuc ſit autoritas, initium faciat de re propoſita cenſendi, ne, ſi id a quopiam præſtantiori fiat, aliorum mentes, aut præſumpta prudentia opinione perſtringantur, aut metu vel offenſionis vel alienioris conſilii, occultare potius ſententiam animi ſui, quàm non adſtipulari ſpectatioribus velint.*

Incumbit hinc conſiliariis, ut Principi vota ſua manifeſtent. Fiat autem illud ipſum, tum viva voce, tum ſcripto, prout hoc Principi placuerit. Melius tamen eſſe videtur, ſi quisque ſuam ſententiam cum adinventis rationibus, quibus eam firmat, ſcripto offerre eidem conſtringatur: tum ut is autoris mentem inde clarius percipiat; tum etiam, ut ſuffragia exactius conſiderare, & quodnam cæteris, tanquam optimum ſit præferendum, ſine magno erroris periculo eligere poſſit. Quamvis idem & alia ratione interdum contingat, ſcilicet ut Secretarius illi collegio conſiliariorum adjunctus vota cum rationibus calamo excipiat.

Præterea & illud hic notandum eſt dubi-

um; an conſiliarius ſuffragium cum ſuis fundamentis ſermone, ad præcepta Rhetorica ornato; an vero ſimplici & absque omni elegantia oratoribus familiari, proponere debeat? Poſſit quidem primo intuitu ita videri, quaſi propoſitio ejusmodi ſub habitu, ornamentis oratoriis propoſito, ſit offerenda. Atque in quibusdam rerumpublicarum generibus, ubi populus majeſtatis politicæ particeps, (nec non, quotiescunque metuitur, ne parentes ſe ad obedientiam ejusmodi conſultatis exhibendam præbituri ſint difficiles) illud adeo neceſſarium eſt, ut conſilia etiam optima, niſi illis blandimentis vulgi appetitus occupetur, creberrime reſpuantur. Ceu quoque ex Republica Romana cumprimis eſt manifeſtum, ut in qua aliquando excellentes oratores tanti fecere, ut *etiam inviti ad populum producerentur: cum parum eſſet in Senatu breviter cenſere, niſi qui ingenio & eloquentia ſententiam ſuam tueretur:* teſte Quintiliano de Orat.

At verò longè alia eſt ratio in principatu, ubi conſiliarii intentio non ſit, ut ſuam ſententiam Principi perſuadeat, ſed ut doceat, & ingenioſa inventione illius intellectum illuſtret. Quare ſuarum partium eſſe ducat, non ut vocum lenociniis, ſed argumentis firmiſſimis, & ubi fieri poteſt, demonſtratis, ſuo ſuffragio robur quærat. Huc faciunt ea, quæ

Bo-

Bodinus *de Rep. Lib. III. cap. 1.* circa hanc rem notat: *Eloquentiam quidem,* inquit ille, *ad populi conciones adhibere & aures imperitæ multitudinis orationis ſuavitate permulcere; oculos etiam verborum lenociniis præſtringere, ac rationum illecebris mentes ab inſania & furore ad ſanitatem perducere, non modò laudabile, verum etiam ſæpe neceſſe eſt: ſed hæc omnia procul à Senatu amovenda ſunt, ſi modo ab iis ſenatoribus, quos dixi, id eſt, ſapientibus conſilia exquirantur.* Hoc ipſum enim eſſet ad privatos uſus, vel etiam perniciem, convertere eloquentiam; ceteroquin ad ſalutem hominum (teſte Cicerone *Lib. II. Officior.*) & conſervationem à natura datam.

Denique circa dictionem votorum Principi imprimis tenendum eſt, ut cuilibet libertas animi ſui ſententiam planè & directè absque omni circuitione obliqua coram ipſo conferendi permittatur. Nam, ubi hæc non conceditur à Principe, perinde eſt, ac ſi cauſa principalis (ut rem ad Philoſophorum placita examinem) ſuæ inſtrumentali verum motum deneget: cum facultas libere dicendi, non quidem quod Principi ſemper gratum, ſed quod ipſi revera utile, ſit inſtar motus in potentia. At verò ſi principalis non dirigit motum ut convenit, inſtrumentalis non aliter agit, nec effectus deſideratus ſequitur. Si Princeps adula-

adulationibus ſaginari, quam illud, quod re ipſa ſibi & toti principatui conducibile eſt, audire malit, actam cum eo eſſe exiſtimo: niſi in tempore adhuc integerrimorum ſenatorum admonitionibus ſuam ſubmiſerit voluntatem. Quapropter Princeps meus ſecundum præceptum Auguſt. Niphi *Viris prudentia atque fide præſtantibus liberiorem in ſe loquendi poteſtatem tribuat, ut ſi quando quicquam, quod ignorat, ſibi deliberandum acciderit, habeat, qui intrepidè conſilium afferat:* Lib. de Reg. & Tyrann.

Sed quid: ſi forte vir honeſtus conſtituatur conſiliarius a Principe tali, qui nunquam moleſta, ſed quæ ex voto ſint, & ventum felicitatis continuò ſpirent, admittat, an eidem nullo modo adulatione uti liceat? Nam ſunt, qui cuncta, quantumvis maximè ſibi conducibilia, niſi appetitui conveniant, averſantur, & tamdiu reſpuunt, donec omnibus miſeriarum generibus obruantur. Quorum mores, hac occaſione ipſis familiares, graphicè deſcribit Forſtnerus in Notis polit. ad Tacitum hiſce verbis: *Neque monita tantum*, inquit, *& reprehenſiones, vix conſiliorum fidam libertatem ferunt. Odio habent conſulentes, ut importunè ſolertes, & tanquam non denunciarent adverſa, ſed facerent. Perire amant, antequam perire ſe ſciant, pericula minus quam periculi memoriam horrent.*

Digitized by Google

Ad Lib. XIV. Annal. cap. 8. Atque huc omnino conferendi ſunt characteres animi, quos ipſe Tacitus eleganter obſervat circa Vitellium *Lib. III. Hiſtoriar. cap. 54. item cap. 56.* Conſiliarius autem propterea eſt, ut conſilia ſua ad veram Principis ſalutem, non verò inordinatas ipſius animi paſſiones, conquirat. Conſulere enim Principi ſuo omnino debet ad Solonis, Græcorum prudentiſſimi illius Politici, ſententiam, non quæ ſuaviſſima, ſed quæ optima, & evidenti utilitate amplectenda. Ut hæc res difficultate quidem non careat. Verum cum conſilia bona, ſimplici modò propoſita, ſæpe ſint ingrata, & per hoc interdum negligantur, non adeò abſurdum eſt, ejusmodi caſibus Medicos, ſua medicamenta ægrotis reluctantibus ſub quadam ſpecie appetitui accepta applicantes, imitari. Quamobrem ei, qui Principi tali a conſiliis eſt, adulatio quædam valde utilis, imo ſubinde neceſſaria, uſu venit: ſed illa, quæ bonum finem habeat, & honeſtati non adverſetur. Unde Saavedra *Symb. XLVIII.* ita concludit: *Dummodo intentio bona ſit, & prudentiam habeat comitem, facilè erit medio & ſecuro incedere itinere inter adulationis ſervitutem & contumaciam veritatis.* Hiſce ſunt adjungenda, atqui regulæ inſtar obſervanda, quæ Morus in ſua Utopia *Lib. I.* differit: *Neque inſuetus & inſolens ſermo inculcandus,* quem

quem ſcias apud diverſa perſuaſos pondus non habiturum, ſed obliquo ductu conandum eſt, atque adnitendum tibi, uti pro tua virili omnia tractes commodè, & quod in bonum nequis vertere, efficias ſaltem, ut ſit quam minimè malum. Nam niſi apud ejusmodi Principem conſiliarius obliquo flexu agat, & opportune, metuendum eſt, ne omnes ejus conatus, quamvis in bonum intenti, ſint fruſtranei; ceu quotidie, cum maximo imperantium malo, experiri licet. Sed & interdum (ut hoc obiter addam) periculum a Principis, ejusmodi ægrè ferentis, odio ipſi conſiliario, in ſuam ſæpe perniciem, imminet: Velut immane exemplum Cambyſis nos luculentè docet; quem, cum nimis vino deditus eſſet, ex familiaribus ejus unus admonuit, ut parcius vino & moderatius uteretur, quod regi turpe foret, in quem omnes oculos conjectos haberent, ebrietate agi. Verum hac libera & fideli admonitione adeo Cambyſes excanduit, ut non modo non abſtinuerit, ſed liberius, capacioribusque quam alias Scyphis, cum bibiſſet, adduci ſibi juſſerit ab ipſo monente amico filium, in quem Rex arcum intendens ejus pueri cor ſagittâ transfixit. Vide inquit, an Regis ebrii certa ſit manus & oculus. Quemadmodum hoc inter alia recenſet Camerarius *Hor. Succiſiv. cent. 1. cap. 90.*

Ut

Digitized by Google

Ut conſiliariorum eſt ſuffragia conferre; ita ad Principem ſpectat, ea deinceps accurato ſubmittere examini; ut hinc conſtet, quodnam, ſive in univerſum, ſive præſenti ſtatui, maximè conveniat. Facit autem hoc ipſum, vel omnibus præſentibus, vel ſolus: interdum paucos eosque prudentiſſimos ac fidiſſimos in hoc negotio ſibi prudenter adjungit. Eſt enim tale quid, quod absque exquiſita conſideratione & judicio practico confici haut queat.

Sed eo feliciter peracto, ſequitur concluſio ſive Conſilium, quid agendum, quid vero omittendum ſit, demonſtrans. Hic incidit dubium, quod hoc caput claudat; an videlicet conſilium ſemel concluſum quandoque, occaſione illud exigente, mutare ſit conſultum? Equidem re bene deliberata ad finem conſequendum nihil videtur ſupereſſe, præter actionem ad conſilii tenorem prudenter inſtituendam. At verò non rarò apparent obſtacula, animum Principis revocantia, quo minus conſilium in actionem abire permittat: ſed quæ illud, vel in fumum redigunt, vel majorem in commoditatem ſuſpendere jubent. Quanquam Aug. Niphus contrariam huic opinionem fovere videatur; idque ob eam rationem, ab autoritate Socratis petitam, quia mutabilitas in deliberationibus arguit conſiliariorum, & ipſius Principis, imprudentiam

atque

Digitized by Google

atque ignaviam. Ut ergo hanc exiſtimationis ſuæ maculam evitet, ſtatuit ille Autor, deliberationes, executioni jam deſtinatas vel mandatas, a Principibus non eſſe revocandas; neque etiam illas, deliberantium errore in juſtitiam (addo & prudentiam) impingentes. *Vid. Lib. IV. de Regnan. Perit. cap. 15.* Verum utut conſilium in ſolennibus comitiis a pluribus ſtatibus reipublicæ V. G. mixtæ, inventum atqui decretum adeo facile mutari quidem non poſſit; quod ut communi conſenſu illorum conſtitutum, ita alia ratione reſcindi nequeat: tamen in Principatu, ubi penes unum Principem liberum agendi vel non agendi arbitrium eſt, hæc longè aliter ſeſe habeant; ut Principi permiſſum ſit, imò ipſius oppidò interſit, non ſolum errorem, contra juſtitiæ vel prudentiæ normam commiſſum, corrigere, ſed etiam ad quamvis occaſionis mutationem conſilium mutare, antequam in actum tradatur. Nam, *quod imprudenter cœptum* (ſunt verba Loccenii de Ordin. Reg. Lib. II. cap. 17.) *pertinaci audacia non eſt urgendum: ne temeritatem temeritate infeliciter corrigere videaris.* Nec ulla *eſt animi levitas* (ceu perbene ſtatuit Saavedra Symbol. LXV.) *ſed prudentia, mutare conſilia & ea, quæ ſemel ſtatuta fuere; nec inconſtantia dici debet, ſed conſtans potius robur ſequendi rationem ducem.* Imò *non*

eſſe

Digitized by Google

eſſe inconſtantis, ſententiam, velut navigium aliquod, ex regni aut reipublicæ tempeſtate moderari; ex communi diſcurſu & judiciis hominum circa negotium, de pace inter Hiſpanos & Belgas contrahenda tunc temporis ventilatum, aſſerit Baudius. *Sunt enim Reges & rerumpublicarum adminiſtri in ea ſtatione collocati, tanquam in ſpecula & liberali cuſtodia, ut invigilent communibus bonis, & quum aliqua vis major ingruit, eam diligere partem debent, ad quam eos convertit inclinatio temporum, ratio concordiæ, ſalus populi, quam ſemper pro ſuprema lege & optimo more cenſeri oportet. Nec verendum eſſe, ullam inde Majeſtatis imminutionem, quæ nunquam deprimitur, niſi quum vitiis contaminatur, aut ſeſe turpi aliqua & inhoneſta conventione devincit.* Lib. I. de Induc. Bell. Belgic. Ut itaque vela ventis, ſic conſilia etiam ad cujusvis temporis & occaſionis varietatem cum magna prudentia ſunt accommodanda.

Cap.

CAP. X.
DE
Electione Adminiſtrorum juſtitiæ.

CUm proximè de illis actum ſit, qui Principi prudentia ſua deliberativa, adeoque bono conſilio ſubveniunt: ſequitur, ut jam pergamus ad eos, quorum opera Princeps indiget circa ſubditorum actiones, videlicet illas, quæ in judicium vocandæ ſunt, & quid juſti ſubſit, aut in quantum enormes a Legum conſtitutarum juſtitia & naturali æquitate recedant, examinandas. Qua de cauſa quoque juſtitiæ adminiſtratores, ſive judices Legum cuſtodes rectè dicuntur, & ſecundum Ariſtotelem *Lib. V. Ethicor. cap. 4.* jus animatum. Ita enim *legem & judicem inter ſe conſpirare oportet, ut ſit lex quaſi anima judicis, & judex quaſi vox legis*; ceu eleganter illud ita exprimit Muretus *Vol. I. Orat. XVIII.* Eſt autem horum officium non ſolum maximi ponderis, ſed & abſolutè quoque neceſſarium in republica: ut ab Ulpiano juris Sacerdotes *l. 1. §. 1. ff. de Juſt. & jur.* & in ſacris literis judices Dii appellentur.

Atque tanta hujus muneris dignitas eſt, ac neceſſitas, ut nulla republica, cujuscunque etiam

etiam generis ſit, ſine eo conſtare poſſit. Legum enim in ſe conſideratarum nullus omnino uſus eſt, niſi ſint, qui actiones parentium juxta eas exigant, litigantium controverſias ex iisdem decidant, atqui obſequentibus in incitamentum præmia, immorigeris vero, quo ad officium redigantur, pœnam decernant. Cum ergo tantam incolumitatis publicæ portionem in eo agi palam ſit, ſequitur, ad Principis prudentiam quoque ſpectare, ut viros huic rei idoneos ſeligat. Idonei autem non ſunt, niſi in illis, præter requiſita generalia, ſpeciatim & in excellentiori gradu cumprimis adſint hæc tria: *1. Scientia juris; 2. Juſtitia; 3. Gravitas.*

Scientia juris, ut in ordine primum requiſitum, ita quoque maximè neceſſaria. Nam quod fabro lignario norma, illud ſunt judicanti regulæ legales: nec poteſt quis ſine errore judicium ſuum de actus cujusdam juſtitia ferre, niſi accurate noverit, in quo juſtum conſiſtat, & quidem non ſufficit, ut teneat leges quoad verba (quemadmodum quibusdam literarum rudibus perſuaſum eſſe poſſit) ſed & ſenſus earum ſit bene cognitus. *Scire enim leges, hoc non eſt verba earum tenere* (inquit JCtus l. 17. ff. de Legg.) *ſed vim & poteſtatem.* At tamen non requiſiverit quis hic neceſſario harum peritiam in illa perfectione, ut ſcientificam earum certitudinem,

ex

Digitized by Google

ex cauſis ſuis erutam, judicem habere oporteat; ſed ſufficit, ſi legum conditarurn firma imbutus ſit opinione, in autoritate Majeſtatis legislatricis fundata. Non enim illis incumbit de earum juſtitia, vel bonitate dubitare, aut disquirere (id quod Profeſſoribus juris in academiis quadam ratione, idque docendi tantummodo fortè cauſa permitti poſſit) ſed ſubditorum actiones ad illas normas exigere atque judicare, juſtitiæ adminiſtratoris officium eſt. Hinc rectiſſime Franciſc. Baconus de Verulamio Serm. Fidel. LIV. *Meminiſſe debent judices*, dicit, *eſſe muneris ſui, jus dicere, non autem jus dare: leges, inquam, interpretari, non condere.* Longe tamen exquiſitiorem & firmiorem juris notitiam in judice, ac in aliis ejus jurisdictioni ſubjectis, communiter adeſſe præſumendum eſt; quanto major cultura animum ipſius expolivit, & diligentia in addiſcendo eo, quod juſti nomen meretur, impenſa.

Eſt autem jus in aliqua republica uſitatum, vel *generale*, vel *ſpeciale*. Hanc diviſionem eleganter indicat Imper. Juſtinianus *in* §. 2. *Inſt. de Jur. Nat. Gent. & Civ.* bisce verbis: *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur.* Per illud intelligitur jus, quod naturalis ratio inter homines conſtituit, atqui uſus confirmavit. Huc refero Naturale & Gentium.

Na-

Naturale eſſe illud, quod apud omnes, vel moratiores gentes, obſervatur, commodè ab effectu demonſtrari poteſt. Nam univerſalis effectus etiam univerſalem indicat cauſam, quæ ſit natura humana. Neque conveniens eſt illa comparatio juris naturæ cum igne; quam Ariſtoteles facit *Lib. V. Ethicor. cap. 7.* Quemadmodum enim ignis ubique urit, ita & jus naturæ inter omnes homines eandem vim habet. Ut illud internam efficaciam in omnibus hominibus prodat, adeoque in natura humana ſit radicatum. In aliis tamen eſt obſcurior illius notitia, quales ſunt illi, qui, appetitus ſui inclinationem ſequentes, culturam animi negligunt: in aliis autem magis ſeſe exſerere, & apparere videtur, quales ſunt moratiores, qui prima illa naturæ principia cura & doctrina perpolivêre. A voluntate vero magis determinationem accipit illud, quod gentium appellamus, ac mutuo plurium populorum conſenſu & uſu eſt corroboratum. Atque differt a jure ſpeciali, quod, ut hoc extra unius civilis ſocietatis terminos ſeſe nullatenus extendit, ita illud commodum, vel omnibus, vel ſaltem moratioribus populis commune, pro ſcopo habeat. Ceu quoque colligere eſt ex illis Hugonis Grotii: *Sicut cujusque civitatis jura utilitatem ſuæ civitatis reſpiciunt, ita inter civitates, aut omnes, aut pleraſque, ex conſenſu jura quæ-*

 dam

dum naſci potuerunt, & nata apparet, quæ utilitatem reſpicerent, non cætuum ſingulorum, ſed magnæ illius univerſitatis. Et hoc jus eſt, quod gentium dicitur. De jur. Bell. & Pac. Prolegom.

Videtur autem omne hoc jus eſſe ſupplementum juris ſpecialis in tantum, ut quoties offertur caſus, qui in jure proprio deciſionem non invenit, judicis ſit commune illud adire, indeque hanc petere. Nam impoſſibile eſt, jus poſitivum tam perfectum condere, quod quemcunque etiam actum contingentem definiat; multò minus omnes unius actus circumſtantias comprehendat: ſicut illud JCtus *in l. 12. ff. de Legg.* rectè quoque obſervat. Faciunt præterea huc, quæ habentur apud Gaſp. Ens inter Monita politica ex Guicciardino excerpta *Monit. XXXV.* Hoc tamen, tanquam nota perfectionis juris conditi in aliqua republica, eſt tenendum; quo pauciores occurrant caſus illo non deciſi, eò minus etiam ipſum à ſua plenitudine abeſſe. Prudentia autem Principis in eo tota ſit, ut jus in principatu ſuo conſtitutum habeat (quantum per rerum humanarum contingentiam ac viciſſitudinem liceat) pleniſſimum. Quod facit ad hoc, ut judici minus libertatis in judicando relinquatur, adeoque pravitas, ſicubi in judice metuenda, quadam ratione coarctetur. Voluntas enim judicantis ad tenorem legum præſcriptarum ita eſt alligata, ut inde, vel

vel in minimo puncto recedere nequeat. Nam *judici ſane illam ſi permittas licentiam, ſubvertentur multa ex his, quæ ſunt certa, & legum tandem ipſis in judiciis non niſi inanis umbra ſupererit*: quemadmodum pulchrè Conringius monet *in Præfat. ad Joachim. Hopper. de Vera Jurisprud.*

Nec tamen libertas illa ita ſit conſtricta in judicante, ut ſecundum verba legum preſſe judicare teneatur, nulla æquitatis habita ratione. Nam propterea jus ſive qualitas illa in animo jurisconſulti a Celſo dicitur *ars æqui & boni*: quamvis ſint, qui illam ſententiam in dubium vocent; ſed confer huc, quæ Bodinus ea de re diſſerit *Lib. VI. de Republic. cap. 6. n. 753.* Quid autem, ſi contingat caſus ad legem, quæ fortè divino vel naturæ juri contraria appareat, exigendus; num judici nihilominus ex illa lege caſum hunc decidere incumbat? Videtur quidem ipſius muneri hoc convenire: verum præſtat tali occaſione officium ſuſceptum deponere quàm conſcientiam ſuam hoc modo onerare. Quippe vel ex lege illa ſibi præſcripta jus reddere debet, vel vero ab officio ſuo abſtinere; tertium enim abſque conſcientiæ læſione non datur.

Speciale illud, cuique reipublicæ proprium, ad ductum juris Romani eſt vel *ſcriptum*, vel *non-ſcriptum*. Illud expreſſe a Majeſtate imperante ſubditis ad obedientiam eidem exhibendam eſt præfixum: ſicut hoc tacito

majeſtatis conſenſu, atque moribus & conſuetudine populi, in civilem ſocietatem introducitur. Fundamentum ergo hujus diviſionis non eſt ſcriptura, ut primo intuitu apparere poſſit, ſed ſummam poteſtatem in republica habentis conſenſus, ſive expreſſus, ſive tacitus. Nec dubitandum eſt, jus non-ſcriptum etiam in aliis rerumpublicarum formis præter populares longo uſu & conſuetudine introduci poſſe; ceu experientia hujus eſt aſſertionis vera teſtis. Nam ubi eſt respublica, cujuscunque illa ſit ſpeciei, ſive ab uno, ſive pluribus, ſive mixtim gubernata, ibi præter jus civile ſcriptum quoque invenire licet conſuetudines; vel ſubditorum actus informantes, vel ſaltem conſtitutarum legum ſenſum & uſum exprimentes.

Circa jus ſcriptum præterea hoc loco notari meretur, illud non eodem modo ſeſe ubique habere. Siquidem in plurimis regnis noſtræ orbis terrarum partis adhuc obſervatur illud jus Romanum; acceſſione tamen ſtatutorum, ſive legum novarum, partim correctum, partim ad præſentem ſtatum accommodatum. Eſt verò illud admodum diffuſum atque copioſum; ut haut abſonè oceanum juris dixeris. Quare ejus quoque cognitio acquiſitu non poteſt non eſſe admodum difficilis huic ſtudio addictis, ac operoſa. Diſpar eſt ratio juris addiſcendi in iis regnis, ubi Romani illius autoritas non agnoſcitur, nati & conſti-
tutā

tuti. Etenim ejus peritia ſine tædioſa mora & opera percipi poteſt: idque in magnum reipublicæ commodum; præſertim ſi ſtudio huic doctrina de humanarum actionum principiis, atque ipſius juris naturæ gentiumque fundamenta, præmittantur.

Ex ſupra dictis itaque palam eſt, quorum jurium exquiſitiorem peritiam quis in futuro juſtitiæ adminiſtratore requiſiverit: ſed illam cum praxi conjunctam. Niſi enim theoreticis ſuis conatibus praxin adjunxerit, ut regulas illas legales ad facta eo, quo convenit, modo applicare noverit, non ſtatim eſt idoneus judex: ſicut illud etiam obſervat Conringius *in Lib. de Civil. Prudent. cap. 3.* Adeoque adſit illi habitus præter theoreticum quoque practicus (ſive juris ad factum applicandi promptitudo) exercitatione quadam comparatus. Atque hinc non ita ineptus eſt ille mos, uſitatus in quibusdam rebuspublicis, ubi interdum in collegia judicialia recipiuntur, non qui ad ſententias in caſibus oblatis inveniendas ſimul ſua vota conferant, aut quicquam operæ ad hoc negotium præſtent; ſed tantum ut auſcultando (unde & Auſcultantz-Räthe quandoque appellantur) ſive diligenti obſervatione, praxin addiſcant, & ſic poſt aliquod tempus idonei ſint, qui Aſſeſſoribus juri dicundo jam ante conſtitutis data occaſione adjungantur: idque haut alio ferme conſilio, quam quo Senatorum Roma-

cipis, juſtitiæ miniſtrum eligentis, oppidò interſit, hic quoq; providum eſſe, atqui cautum.

Finem huic capiti denique imponit Gravitas, quam vel verbo quoque hic expedire oportet. Atqui hæc omnino etiam in futuro juſtitiæ adminiſtratore eſt examinanda: ut enim dignitas hæc & autoritas a majeſtate politica ſtabilitur, ita gravitate, ut quæ illius parens etiam recte dicitur, conſervatur. Conſiſtit autem gravitas, tum in externo corporis habitu, tum etiam in ſermonis, geſtuum, atqui actionum convenienti ratione. Quare jus dicens in officio ſuo omnem moroſitatem rigidam, ſimul & levitatem, evitare conetur: illam, ne odium & averſionem, hanc verò, ne vilipendium civium ſuæ juriſdictioni ſubjectorum (idque in ingens dignitatis ſuæ ac ipſius juſtitiæ diſpendium) contra ſe urgeat. In ſumma: *Gravitas humanitate condienda, ut nec facilitas autoritatem, nec ſeveritas amorem imminuat*; ceu notatur a Creſcentio inter ſelecta Aulico-politica. Quoad acceſſum pertinent huc, quæ Auguſtin. Niphus notat: *Aſperitas timorem*, inquit, *timor autem odium parit. At gravis honeſtas reverentiam ſibi vendicat*; de Reg. & Tyrann. cap. 21. Unde ergo gravitas illa ita ſit comparata, quæ reverentiam, id eſt, metum cum amore (non odio) conjunctum in animis parentium erga ſuos imperantes concitare valeat: cum ju-

dex quodam modo ſit inſtar parentis, venera- tionem, non timorem acerbitate animorum mixtum, requirentis.

CAPUT XI.
DE
Electione Legatorum.

QUinam negotiis civilibus, in principatu evenientibus, ſint præponendi, hactenus fuit oſtenſum: ſed cum in prudenti negotiorum extraneorum adminiſtratione quoque magna ſalutis publicæ portio verſetur, unde & noſtra ſollicitudo in electione idoneorum Legatorum, qui illa prudenter & cum diligentia adminiſtrent, porro ſit occupata, oportet. Nec enim minora pericula ab extraneis partibus quam ipſis reipublicæ viſceribus, ſunt metuenda. Quamobrem cumprimis quoque hæc cura principis prudentiæ ſit commiſſa, ne illos actionibus cum vicinis principibus, aut civitatibus expediendis, eligat, qui vel naturam negotii prorſus non intelligant, vel alias ad hanc rem ſint inepti: ſed (cum & ipſos principes ejusmodi occaſionibus ſeſe ſiſtere nonnullis de cauſis ſæpenumero non ſit conſultum; ut Camerarius multis exemplis adductis hoc ipſum oſtendit in *Hor. Succiſiv. Cent. III. cap. 43.*) habiles deligantur, qui tantæ perſonæ ſuſtinendæ pares ſint, in principalis ſui, tum emolumentum, tum etiam hono-

norem. Nam in Legato & negotii optatus eventus quodammodo eſt collocatus, & quoque dignitas Principis lucet, atque totius principatus magnitudo : præſertim cum ad illius perfectionem etiam amplitudo Principis abſentis aliquatenus æſtimetur, aut ſaltem talis (maximè a vulgo extraneorum) ex perſona legati concipiatur. Nec enim ſolum rem ſuæ ſinceritati ac prudentiæ commiſſam eo, quo convenit, modo procurare, verum & receptæ perſonæ ſplendorem atqui exiſtimationem curioſè obſervare, ipſi incumbit.

Igitur pretium operæ erit, hinc de dignitate ejus, qui in legatum eligendus eſt, paucis agere. Conſideranda autem eſt illa dignitas, cum *in ipſo*; tum quoque *extra ipſum*, ſive circa ipſum. In ipſo ea ſpectat, quæ vel ad Animum referuntur, vel ad Corpus. Atque in animo præprimis prudentia civilis, quæ intellectum illuſtret, & virtutes quædam morales, quæ appetitum efforment, ad ideam perfecti legati exigenda veniunt.

At de prudentia, ut ordine & æſtimatione ſua primo attributo, initium eſt faciendum. Sit verò hæc haut vulgaris, ſed perfecta, & omnibus numeris (quemadmodum dicitur) abſoluta : cum res & difficultate, & quoque conſequentia, maximas ſibi habeat ſuppoſitas. In iis tamen legationibus, quæ in gratulationibus, aut ejus generis aliis ſolennita-

tibus, occupatæ ſunt, ubi nulla negotia verè politica ſimul ſunt agitanda, tanta prudentia haut eſt opus; ſed ſufficit, ut legatus occurrentium ceremoniarum & actuum aulicorum ſit peritus, Principisque ſui perſonam dignè referre poſſit. In aliis verò, quibus de negotiis gravioribus, ut bello & pace, aliisque quamplurimis publicam incolumitatem concernentibus, agitur, exquiſitiſſimam requirimus prudentiam.

Quare quoque illi Experientiam & Perſpicacitatem, tanquam egregria adjutoria, adjungamus. Et ſanè experientia, ſive ea ſit aliena, ſive propria, haut exiguam legato in actionibus ſuis confert operam. Conſiſtit autem illa magna ex parte in rerum geſtarum reipublicæ, tum noſtræ, tum quoque illius, ad quam legatus expediendus, atqui utriusque præſentis ſtatus, cognitione; quacunque ratione, modò certa, comparata: cum inde ſæpe vel perſuadendi, vel (prout conditio rerum noſtrarum exigit) diſſuadendi argumenta ſint petenda, adeoque & totius negotii tractandi ratio hinc interdum formanda ſit. Ad propriam pertinet, quando politici talem efflagitant ad hoc munus obeundum, qui non tantum rerum variarum uſum habeat, verum etiam præterea in hoc actuum genere ſit verſatus, & quodammodo idoneitatem ſuam jam ante docuerit. Quandoquidem hic curioſum eſſe, Principis quam maxime intererit. Nam

ejus

Digitized by Google

ejus ſocordia & infelicitas (ut notat Carol. Paſchalius in Legato ſuo cap. 18.) *progignit ea mala, ultra qua nullum malum eſt.*

Alterum adjutorium, quod prudentiæ legati fuit adjungendum, eſt perſpicacitas, ſive acumen intellectus judicativi, cujus ope ea, quæ ad ſui Principis deſiderium adipiſcendum faciant, diſcernere poſſit ab iis, quæ propoſitum potius ſint impeditura, vel ſaltem moratura. Cæteroqui *miniſtri bene multi levibus moventur ratiunculis, aut paſſione aliqua ducti, aut averſione animi, qua judicium iiſdem perturbat, omnia in malum vertunt. Sunt præterea nonnulli natura ſic comparati, ut actiones omnes & conſilia in deteriorem interpretentur partem; quemadmodum alii ita ſinceri, ut nihil ſiniſtra cum intentione agi credant. Tam iſti quam illi pernicioſi ſunt, ac hi poſtremi quidem non minus ac alii priores:* ceu hæc Saavedra, cui ut in ejusmodi materia exercitatiſſimo facilè fides attribui poſſit, prudenter obſervavit, in *Idea Prin. Chriſtiano polit. Symbol. LXXVI.* quamvis & proximè præcedentia hic quoque ſint conſideranda.

Hactenus a nobis propoſita ad perfectionem intellectus faciunt; ſed ea, quæ ſubſequuntur, haut minus neceſſaria, legati appetitum atqui mores conformant. Ad virtutes morum formatrices forſan transferri poſſunt: Fides; Taciturnitas; Temperantia; Magni-

licentia; Magnanimitas; Modeſtia; Humanitas, & Gravitas; item convenientia quædam cæterorum morum cum inclinationibus eorum, ad quos legatio deſtinata: ut quas omnes legatum actionibus ſuis demonſtrare oportet. Cum ad ipſius, vel eſſe (ut Philoſophorum loquendi ratione hic utar) vel minimum bene-eſſe omnino exigantur.

Atque fides, ut de ſingulis ordine, differamus, cumprimis legato adſit, ad negotia in domini ſui commodum candidè agenda tenax. Niſi enim mandata principum apud exteros ex fide adminiſtrentur, omnis labor omnesque ſumptus fruſtra impenduntur, ſpes optati eventus concidit, & res atqui ſalus publica horum hominum infidelitate in perniciosiſſima haut raro periculi præcipitatur. Ceu exempla ejusmodi levitatis, & hinc profluentis mali, vix ac ne vix quidē reparabilis nobis deeſſe haut poſſunt. Unum inſtar omnium hic obiter notare lubet, quod commemorat Salluſtius de Legatis Jugurthæ, quos Metellus, Conſul Romanus, ad quem erant expediti, paulatim tentando, & poſt multa pollicendo, ut Jugurtham maxime vivum, ſin id parum procederet necatum, ſibi traderent, perſuaſit.

Sed & taciturnitas perinde, ut ſupra in conſiliario, ita quoque hic, facit magna conſideratione dignum attributum. Nam nullæ res civiles promiſcuè majori indigent ſilentio ac eæ, quæ legationibus ſubmittuntur.

Egre-

Egregium in hoc reliquit omnibus legatis exemplum Pompejus; de quo Valer. Maximus *Lib. III. cap. 3.* ita teſtatur: *Pompeii etiam probabilis virtus: qui, dum legationis officio fungitur, a Gentio Rege interceptus, cum Senatus conſilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit: eaque patientia Regi ſimul & deſperationem quicquam ex ſe cognoſcendi excusſit, & expetendi populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit.*

Nec ſolum ſua ſecreta coram Principe, ad quem miſſus, ipſi ſunt celanda, ſed etiam ea, quæ cum hoc agitat, ne aliis pateſcant. Atqui adeo horum divulgatio eſt evitanda, ut nihil eorum, neque per ſe, neque per ſuos, aut quacunque ratione id fieri poſſit, etiam nutu & geſtibus, ad alterius notitiam deferat: moniti illius memor; *Tuum ſecretum ſit clauſum, & niſi tibi ſoli apertum; ſed cavendum, ne ſilente lingua vultus, oculi, & cæteri geſtus, loquantur, ut quod maximè celatum vis, in lucem protrahatur*: Fredro Monit. Politico-moral. Part. IV. §. 59.

Quare & temperantia hoc caſu oppidò eſt neceſſaria; ſcilicet illa, quæ circa Bacchum & Venerem obſervatur. Quandoquidem hiſce occaſionibus magna arcana ſæpè fuiſſe prolata hiſtoriæ conteſtantur. Et, ut prætereamus cætera, quæ in munere ſuo legatus hinc ſentiet impedimenta, turpe & magnitu-

dini ipſius indecorum hoc eſt vitium. Unde jam jam allegatus Fredro Fragment. polit. *Temperatum, inquit, legatum & continentem velim. Turpe a muliere vinci.* Ut quoq; turpitudine hac, & autoritas apud bonos honeſtatisque amantes obfuſcetur, & econtrà deſpicientia apud omnes in immenſum accreſcat.

Verum & officii, quod Legatus ſuſtinet, ratio exigit, ut ubique magnificentiam præ ſe ferat; in iis maximè, quæ propalam fiunt. Adeo enim hæc virtus magnatib9& ipſis principibus convenit, ut illi proprie ſibi ſolis eam vindicare videantur: vilioris conditionis hominibus libertate, tanquam virtute in hoc genere minoris momenti, demum conceſſa. Atqui *ſplendore omni incolas ſuperare poteſt legatus* (permittat mihi benevolus lector verba paulò ante laudati Autoris, prudentia ſanè gravis, rerum hic producere) *Principem tamen vincere nolit, a quo, aut ad quem venit, ne arguere videatur, & pro amore invidiam paret:* in Fragment. Pol. Quamvis & in defectu hic peccare, cum magno exiſtimationis, tum Principis ipſius, tum quoque negotii, decremento conjunctum eſſe appareat. Ut Principis omnino ſit, in eligendo legato obſervare, ne talem conſtituat; qui ſordidus, ſit, & indecóra atque intempeſtiva parſimonia delectetur. Vergit enim hoc ipſum in vilipendium legationis, ſimul & ipſius majeſtatis.

Ma-

Magnanimitate præterea opus eſt in ipſius negotii, præſertim ardui, geſtione: cum legatum admodum decoraret, ſi ea, quæ ipſi ſub perſona Principis ſunt agenda, non animosè & fortiter expediret. Ad hæc conſtat, ſæpius rem, quamvis moleſtam & aſperam valde, tamen magno animo ſuſceptam, tandem feliciter & ex voto ſucceſſiſſe. Confer huc, quæ Forſtnerus obſervat in *Not. polit. ad Tacit. Lib. XV. Annal. cap.* 5. ibi: *Mandata ferociter edidit.* Aſt animoſitas in adverſis, & ubicunque hac virtute opus, ita eſt tenenda, ut tamen in reliquis ſuis actionibus & verbis ſemper modeſtiam (vocabulo pro quavis moderatione cupiditatum accepto) attentè obſervet. *Sæpe* enim *modeſtia mollit ea, quæ nulla vis frangere poteſt;* quemadmodum hoc bene animadvertit Paſchalius in *Legat. cap.* 39. Ut eximiam iſthæc moderatio animi vim contineat in favore concitando. Patet hoc vel ex geſtis Legati Gallici, Henricum Valeſium in Regem Polonorum offerentis, & Legatorum Cæſarianorum, ob eundem finem tunc temporis in Polonia præſentium: quorum hi immoderata agendi ratione benevolentiam omnium deperdidére, ille vero modeſtia ſua favorem ſummum ſibi conciliavit apud Optimates Polonos, ut quoque deſiderium ſui principalis ſit conſecutus; Vid. Fredro de Geſtis populi poloni ſub Henrico Valeſio. Ita & de Busbequio dicitur, ipſum

haut

haut alia ratione, quam magna animi modeſtia & conſtantia mitigato Solimanno octennii inducias impetraviſſe; ceu in ipſius Vita, Operi Epiſtolarum præfixa, notatur.

Hinc ſequitur virtus in omni converſatione neceſſario expetenda, quæ eſt humanitas. Quippe humanitate & civilitate favor oppido invitatur, animi paulatim junguntur atque ita ſpes erigitur, aliquid boni a legato obtentum iri. Sunt ergo *triſtia, moroſa, & faſtuoſa ingenia* (quemadmodum ſæpe citatus Fredro in Fragm. polit. dicit) *a legationibus arcenda: nihil enim adferunt præter exacerbationem, una moroſitas provocat aliam, acerbitas una aliam.* Quandoquidem etiam *ſeveritas* (ceu teſtatur idem in Monitis Politico-Moral. *amittit aſſiduitate autoritatem.* Quapropter humanitas legato in omni converſatione & quotidiana vita ſit quaſi norma perpetua; verum illa, quæ a gravitate juſtum temperamentum habeat: ut quoque apparet ex iis, quæ apud Gaſp. Ens *Theſaur. Polit. Apotel.* 3 (quo continetur Inſtructio legato, ad Rempublicam Venetam eunti, data) leguntur: verba ſunt: *Porro gravitatem hanc (quam in moribus & converſatione ſervandam monui, & quam præ cæteris virtutibus, non tantum ut publica munia obeunti decoram, ſed & tanquam prudentiæ & conſtantis animi indicium, magni faciunt Veneti) comitate & dulci quadam humani-*

tate

tate temperare oportet. Hiſce ſimilia ſunt, quæ docentur apud Honorium *Theſaur. Polit. Part. II. cap. 3.* illis verbis: *In omnibus actionibus ſint modeſti, ſervata tamen gravitate cum vulgaribus, & modeſta familiaritate, quantum ſalva dignitate fieri poteſt, non ſaltem cum Principibus, verum etiam cum mediocribus, maxime cum illis, qui in aliqua ſunt conſtituti autoritate, ac principibus ſunt familiares.* Siquidem omnes actus legati ita dirigantur, ne Principis ſui dignitate & negotii pondere ſint minores: ſed gravitas ſimul & humanitas ubique promineant; hæc, ut odium, illa vero, ut levitatis opinio, adeoque contemptus ſalutariter averruncentur.

Denique & convenientia cæterorum morum cum inclinationibus illorum, ad quos legatus expediendus, hic vel verbo eſt attingenda; cum hoc caſu uſum quendam utique habere videatur. Quoniam, ut morum diſſenſio conjunctioni animorum ſenſibiliter obſtat, averſationis radix ac principium eſt, & legatum, quo minus ſcopum ſuum feliciter contingat, morari aliquatenus poſſit: ita econtra inclinationum conſenſio ad amicitiam (ut cujus fomes eſt) & hinc notitiam plurimorum, ſcitu neceſſariorum, quæ inter amicos ſociari evenit, conſequendam valde prodeſt. Atqui hæc adeo vero ſunt conſentanea, ut judicari cum Cornel. Nepote in Vit. T.

Pom-

Pomponii Attici recte poſſit, p
valere ſimilitudinem morum,q
tatem, licet alioquin efficax ar
hendæ vinculum. Qua de ca
cipi injunctum ſit, in electione
dammodo uti judicio, ne is in
diverſa a moribus ejus populi,
tendus, forte an ſit præditus.
no Saavedram *Symbol. LXXX*

Fuerunt ea, quæ animum
unt; ſequuntur jam, quæ ad co
Ad hanc claſſem autem præ
ſpectabilem corporis formam,
expeditam. Quare ſit homo
nerabilis: quoniam deformita
corari etiam videtur is, quem r
Princeps & in eo ſit curioſus,
nam deformi corpori,idque in
um, facilè committat. Accedi
populi barbari tantò accuratic
vatores ſpectabilis formæ cor
legato, quanto negligentius ej
bus, ut quæ ſub ſenſus non cad
Imò communi obſervatione o
jusmodi externa tanti plerum
non minus in animis eorum
ipſæ virtutes: ceu variis, iisqu
exemplis, ex Tacito ac aliun
oſtendit Forſtnerus in *Not.po*
XV. Annal.cap. 48. Quant
quoque illud in aliquam c

venire poſſit, quod ex elegantia membrorum & convenienti corporis diſpoſitione bonum temperamentum aliquatenus ſit conjectandum; temperamentum autem tales animi inclinationes ſequantur.

Magis tamen Principi conſiderandum eſt circa Legatum; utrum habeat linguam ſolutam & obedientem. Verum oportet, ut præterea hæc facultas naturalis ſit adjuta, tum ab inſita quadam dexteritate perſuadendi, ut qua alios aliis eſſe feliciores, quotidiana experientia teſtatur; tum quoque imprimis ab arte oratoria, quæ illam dicendi potentiam ad perfectionem, huic muneri parem, redigat. Qua de cauſa non ſolum ſint prudentiſſimi, ſed etiam diſerti & optimi oratores, qui perſuadere valeant: ut propterea vehementiſſime ſuo commodo renitere videatur ille Princeps, qui hæc in conſtituendo aliquo, quem rerum civilium gerendarum cauſa ad exteros obligare velit, negligat. *Idcirco mirandum non eſt*, inquit Scipio Amiratus ad Tacit. *ſi legati munus, quod non niſi in dicendo, perinde ut ducis partes ſunt in faciendo, extenditur, hac in parte ſummo ſtudio atque induſtria impleri debet, & nuſquā ſuperſtitioſius & attentius hæc minutiora, quam in hoc hominum genere attenduntur:* Lib. XV. Diſcurſ. 4.

Id quod inter alios & Athenienſes in ſua republica diligenter obſervaſſe traditur, cum ad legationes non niſi prudentes & oratores maxi-

maximos adhibuerint. Nam
(quemadmodum Paſchalius cap
ſinit) *qui lectu miſſuque pub*
negotium peregre agit, non m
ſe eloquio & viribus ingenii.
ſunt eloquentiæ vires, ut Epam
rum Thebanorum Legatus, alic
una oratione non minus noc
moniis, quam poſtea Leuctrica
Alcibiades tam fuerit diſertus
dicendo reſiſtere potuerit: ceu h
Vitis notat Corn. Nepos. Br
(ut hoc denique obiter monea
omni ſermone: nec ſit oratio
milis, vel ob prolixitatem tædioſ
acuta, ſententioſa, adeoque gra
toritatem conciliandam apta.

Atqui abſolutis iis, quæ in L
examinanda, reſtant ea, quæ ext
dem ſunt poſita, illius tamen, qu
ditionem afficiunt. Sunt auter
Divitiæ, Nobilitas generis, & C
gati futuri prudentia, virtutibus,
dore apud exteros, magna.
pterea hic maximè deſideramus
magnificentiam ſupra requiſitar
rius in munere ſuo oſtendat. N
gnificentia illius voluntatem a
movet, ita opes privatæ facult
Nec enim raro noſtris moribus
neris expeditiones adhibentur

lentiſſimi, ut partem ſumptuum de ſuo faciant; expoſitione iſthac nummorum ad bonum commune facta, honore hinc in legatum redundante compenſata. Tametſi & opum ratio hic aliqua habenda, quod paupertas quodammodo contemptum ingeneret, & vel propterea legationis muneri ſit adverſa. Qui vero hujusmodi occaſione turpiter ſe gerit, ille hoc vitio principalis ſui gloriæ vel exiſtimationi haut modicam affundit obſcurationem: in magnum nominis ſui ac gratiæ Principis erga ſe antehac conceptæ detrimentum.

Magis tamen hoc loco eſt utilis nobilitas generis. Nam *quantumvis tam nobilis quam ignobilis perſonam illius, qui eum mittit, ſuſtineat; nihilominus magni principes, qui ſingula minutatim obſervant, indignantur, quoties ad ipſos viri præclari non mittuntur:* Amirat. ad Tacit. ante alleg. Lib. XV. diſcurs. 4. Ut adeo ille Princeps, ad quem expeditur hujusmodi legatus obſcuro loco natus, vel qui ſaltem magnis virtutibus non præclarus, nec ad ſublimes dignitates evectus, hoc ipſum ſibi in deſpectum & vilipendium reputet: & hinc minimum ſimultas, ſive occulta quædam offenſio, quæ ſubinde pari ratione vindicari ſoleat, naſcatur. Hac ratione peccavit Ludovicus XI. Gallorum Rex, qui Olivarium tonſorem ſplendidiſſimæ ad Carolum Burgundiæ Ducem legationi præfecerit:

tit: de quo Philip. Cominæus
ubi inter alia illam legationem
ac tandem hæc notat: *Ad hu*
tur diſceſſit (ſcilicet ille Ol
absque ludibrio. Plerique
eum, & propter generis obſcu
originem habebat ex quodam
cul a Gandavo) & ineptu
Certior autem factus immine
lum, & fore, ut in flumen abj
fugit Tornacum: ſed non ſine n
Regis, ut cujus perſonam ſuſti
cientia.

Reliqua eſt inter externa
dentia, virtutibus, & animi
Verum ut divitiæ & generis no
jus exiſtunt bona externa, adh
ratione, ita opinio hæc in alio
animis, ubi ſedem ſibi propriam
cumfertur, & ipſum ſaltem n
mili modo, quam quo umbra co
comitatur. Hæc vero egreg
obtinenda ſui Principis intent
quod non ſolum vim quandam
alterius contineat, verum & i
ea, quæ nomine ſui domini pr
quodammodo præparare & dc
videatur. Hinc a vero haut ab
Paſchalius *cap. 15.* obſervat,
Sæpe regnantes ejus legati, qu

probus, virtute moti omnia ei, ad quæ venerat, conceſſerunt.

Atque illa opinio haſce tres ex ſeſe producit quaſi filias, in eodem enim ipſa ſubjecto permanentes, nimirum Benevolentiam, Autoritatem, ac Fidem. Ex hiſce vero benevolentia adeo hac occaſione eſt neceſſaria, tum in Principe, tum quoque in proceribus regni, aut iis, quorum ſententia apud Principis animum maximum habet momentum, ut absque ea vix quicquam obtineri queat. Quare bene monet Fredro in Fragment. polit. non mittendum eſſe legatum, qui odio laboret apud eos, ad quos mittatur: verum *ſit gratus excipienti Principi & populo, quod ab antè acta notitia, aut aliqua ratione parari poteſt; qui placere potuit, jam obtinere cœpit.* Quomodo enim movebis animum a tua perſona alienum; nam talis de te, & de omni tuo negotio, ſiniſtrè (etiam absque ratione) judicabit. Huc faciunt, quæ Ariſtoteles diſſerit *Lib. II. Rhetor. cap. 1.* In ſumma; *Legati munus ſit, quantum fieri posſit, operam dare, ut iis, ad quos miſſus eſt, & quibuscum agit, gratus ſit, & acceptus. Tales enim miniſtros patronis & Dominis ſuis plus profuturos, eorumque negotia melius geſturos, certa & explorata res eſt:* quibus verbis finitur ſupra citata Inſtructio, Legato ad rempublicam Venetam expedito præſcripta.

Benevolentiam & ordine & natura ſequitur

tur autoritas; quippe quæ ma
nimum efficaciam videtur habe
iſtente faciliùs quid obtine
obrem & legato incumbit o
impendere, quæ ad illam, tum
tum conſervandam, facere poſſi
tum quoque illi aliquod add
nam ſicuti virtute, ita & ætate
bilis apparet legatus. Hinc R
aliis legationes datæ, quam Sc

Quibus denique ſponte ſo
verum vocabulo (quod obiter
longe alia ſignificatione quam
Hæc quantumvis generatim q
ris credentialibus (quas vulgò
colligenda, & legationi attrib
ticulatim tamen etiam quædam
ſtrumento illo creditivo, ſed ip
ſona ejusve prudentia atque ſi
ut de qua impræſentiarum loq
eſt neceſſaria, quotieſcunque
ctum negotium aliquid propo
in ſingulis fidem invenerit per
ter illud, quod immenſa dilig
tibus ſumptibus curioſe quæ
tinebit. Contra verò, ſi ab
quæ ipſum ad expeditionem
reddere ſupra demonſtravimu
alterum, ad quem a Princi
ſuum propoſitum multo fa
Quandoquidem hæc fides om

Digitized by Google

prudentiæve ſuſpicionem removet, adeoque & rem, ſi non utilem, ſaltem non adverſam fore ſaluti Principis, a quo deſideratur, haut leviter aſſeverat.

CAP. XII.
DE
Electione miniſtrorum occultorum.

AD quæ cumprimis animum advertere debeat Princeps in conſtituendis miniſtris, quorum cura atque opera in adminiſtratione rerum civilium manifeſto utitur, ex præmiſſis quibusdam capitibus conſtat: hinc ergo ad electionem occultorum pergendum eſt, ut qui Principi in functione ſua quoque perquam utiles ſunt; velut ex jamjam ſubſequentibus perſpicue comparebit. Verum occultos appello, quoniam miniſterium, quod præſtant, maxime eſt occultandum: ut, ſimulac ad intelligentiam alicujus; præſertim quem tangit, penetraverit, inde præter moleſtias & pericula nulla utilitas ſit ſperanda; cum cæteroquin hoc genus miniſtrorum ſuo Principi haut exiguum auxilium porrigere poſſit. Hinc Saavedra illos occultos officiarios ſive exploratores *præcipua regnandi inſtrumenta, ſine quibus corona nec ſatis ſecura eſſe posſit, nec incrementum ſumere, nec bellum ritè admi-*

niſtrari, dicit *Symbol. LXXIX.* Duo
hujus diſcurſus ſint quaſi ſumma capi
quæ omnia, quæ hic comportare placet
rantur; prius uſum hujusmodi miniſ
occultorum monſtrabit; poſterius ver
litates aliquas corundem.

Uſum quod concernit illorum,
Principi maximus exinde, tum in rep
tum quoque extra eam. Quandoquid
eorum officiariorum ope res non ſolu
rum civium, verum & vicinorum pop
indagare poteſt; quas alias vix ac ne vi
dem, idque cum immenſo cor
boni detrimento, reſciſcere queat.
in republica quam operam Principi
valeant illi, mox indicabimus: mo
bium, inter politicos hoc loco motu
cis expediverimus. Dubitant enim
Principi conveniat, præſertim circa ſuo
las, talium miniſterio uti? Negare aut
ea de cauſa potiſſimum videntur, qu
ipſum Principem odioſum apud ſuos
quatenus ſuſpectum de tyrannide,
poſſit: cum tyrannis hæc ratio quoda
propria ſemper fuerit, qua ſeſe conſerv
Vid. Ariſtoteles *Lib. V. Politicor. cap*
Piccartus ibidem. Ita & Auguſtin.
de tyrannis dicit: *Inſuper per urbes e*
tores diſſeminant, ne lateant, qua
quis dixerit, aut fecerit; Libell. de
Tyrann. cap. 18. At quamvis hæc ap
talia, quæ animum honeſtatis ſtudioſu

limè ad arripiendam ſententiam negativam commovere poſſint; præprimis cum & mala ſit intentio tyranni, & homines, quales hiſce caſibus ab illo impendi ſolent, plerumque peſſimi: nihilominus tamen Principi meo exploratorum uſum commode, & ſine decori aut honeſti læſione quoque concedi poſſe cum Verulamio Libello de Hiſtoria Regni Henrici VII. opinor. Nam & finis illius eſt bonus, adque communem ſalutem directus, & homines quos ſibi, ut ejusmodi munere exploratorum fungantur, eligit, ſunt honeſti viri: ſut & ipſos principes ſub habitu vulgari, adeoque ignoto, latentes illam perſonam ſæpius egiſſe conſtet; velut hoc quoque Camerarius congeſtis exemplis, ut Antiochi, Matthiæ Hunniadis, Mithridatis, Franciſci Galeatii, aliorumque pulchrè demonſtrat *Hor. Succiſiv. Centur.* I. *cap.* 90.

Extendat autem ſeſe hic uſus in republica per omnes incolarum claſſes. Siquidem Principi non tantum animi atqui actiones ſubditorum, ſed & ipſorum miniſtrorum hoc modo pateſcunt. Maximam verò habet utilitatem, certò & accurate noviſſe, quam opinionem foveant cives de imperantis idoneitate; qua benevolentia erga ipſius perſonam atque imperium teneantur, & numne potius odium in pectore alant; quid de ipſo loquantur, & de ejus negotiis judicent plebei, quid nobiliores; quid agant inter ſe, & quid moliantur: hæc

omnia niſi ſint Principi perquam ſan
nec ſuis ſatis utilis, nec interdum tu
poteſt. Hinc conſpirationes, ſimilesq
tus præmature deteguntur, ut iis in t
medela quæratur. Diſcet hinc Prince
quantum illorum mores cum honeſta
gibus reipublicæ, adeoque & utilitate
conveniant, & in quantum ab iis abean
probos permittat, & enormes ad regula
legalem reducat: diſcet eorum de ſuis
liis & factis judicia; atqui hæc ſi recta, a
ſuas publicè ſalutares continuabit, hiſc
trarias vero tacitè, idque ſine pudore &
ritatis jactura, corriget; ſin autem e
opinio falſa, ut ex qua hæ ſententia
fluunt, cum omnibus cauſis ex mente
idque arte quadam adhibita, ne more
obſtinatè ſententiæ ſuæ inhærere perg
evellenda. Nam hoc prudenti etiam
contingere poteſt, ut ſubditi aliquid ci
gimen videant, quod ipſe non obſerv
facilius enim eſt judicare de alterius
tionibus, jam ad finem ſuum perductis
eas prudenter inſtituere: ut quoqu
ſubinde negotia, contra prudentiæ civi
mam inſtituta, rectè perſtringat, qua
pſa ubique prudenter agere adeo nequ
Quare ejusmodi ſententiæ, de illiu
nibus emiſſæ, ſint ipſi ſpeculum mini
lax, in quo earum juſtitiam atqui prud
vel etiam quandoque deformitatem c

tur. Id quod Saavedra quoque indicat in *Symbol. XLVIII.* hiſce verbis: *Conſideret ſe porro Princeps etiam in Vulgi ſpeculo, in quo ne minima ineſt macula, quæ non confeſtim appareat; neſcit enim diſſimulare multitudo.* Atque faciet illud ipſium ad hoc, ut non ſolum nævos emendare, ſed etiam inde (cum plebs & circa futura negotia ſuam opinionem inſtar conſiliarii depromit) quandoque bonum conſilium capere queat. Quod hoc caſu duplici modo contingit utile Principi; tum ratione rectitudinis in ſe conſideratæ; tum quoque quod toti plebi, tanquam cauſæ productrici, procul omni dubio ſit gratum tale conſilium, & acceptum futurum. Nec enim ita inops conſilii eſt vulgus, ut nunquam in prudentem aliquam inventionem incidat: imo interdum admirandam hic oſtendit prudentiam; perinde ut non raro quoque a recto ſapientiæ civilis tramite longè abeſt. Sed & nullum conſultatum majori cum ardore & inclinatione ad executionem promovebit, quam illud, quod ex ſe quaſi natum, vel a ſua ſaltem ſententia & appetitu non alienum, agnoſcet: idque cum ingenti erga Principem propenſione.

Non minori porro cum utilitate Principis ſecreti hi emiſſarii obſervabunt circa miniſtros omnes, præprimis vero eminentiores, quomodo in functione officii commiſſi verſentur; num unusquisque ſecundum requiſita, quæ pro muneris ſui natura ac conditione

in ipſo deſiderari aliquot capitibus m
vimus, agat, atqui cuncta non nimis
ſed juſte, diligenter, & fideliter, exe
Nam ſæpe miniſtri ſunt infideles, in
lupi rapaces, deſidioſi, rigidi nimium,
ditis hinc graves ac moleſti, domino
ſuo periculoſi. At vero hæc omnia &
vitia, quibus fortean ſunt dediti, ex
actionibus demum ſunt colligenda; q
per candidos exploratores deferantur,
pi, in ipſius maximam perniciem (q
na experientia teſte) reticeri ſolent
nunquam, vel ſero, ad ejus intellig
pertingant. Ceu illud quoque eve
roni, quemadmodum videre eſt apud T
Lib. XIV. Annal. cap. 39. At vero m
Imperator, apud quem vera reticentur
leganter ſimul & prudenter Gordianus
cerum ſuum Miſitheum ſcribit. Simi
do circa ducem bellicum, cæteroſque
officiarios, fidem atqui expediendi ſua
tiá dexteritatem, obſervare admodum
cit. Imo & ipſorum militum grega
animos ejusmodi ratione accurate exp
ſe, boni ducis bellici eſt; præſertim p
aggreſſuri: hoc caſu Imperatoris Ger
providentiam egregiam diligenter ſeq
apud Tacitum *Lib. II. Annal. cap. 12. &*

Hactenus de uſu exploratorum in re
ca: verum & extra rempublicam ing
utilitatem Principi adferre poſſunt.

autem operam ſuam extra illam tempore vel pacis (ut ea diſtinctione hic utamur) vel belli. Tempore pacis, ſive in cognoſcendo vicinorum ſtatu & civilibus actionibus ſane uſus eorum eſt perquam neceſſarius. Atque hinc Keckermannus Syſtem. Polit. Lib. I. cap. 24. *Conſultum omnino eſt*, ait, *& utile, ut Princeps in exteris nationibus habeat certos quosdam, a quibus informetur de rebus novis, quæ ibi geruntur.* Nam (ut eodem capite paulo poſt dicit) *omnino norit ingenium & mores vicinæ gentis, ut nempe tanto prudentius eam posſit tractare.* Adeoque vicinæ reſpublicæ procul omni dubio prudentiæ civilis objecti pars quædam ſunt (quemadmodum etiam ſupra in capite 2. fuit oſtenſum) & earum accuratam notitiam quavis ratione acquirere, ad Principem quoque ſpectat.

Solent interdum legati horum occultorum vices gerere, quando clam & per accidens, in peregrinis locis verſantes, hanc cognitionem quærunt, & ſuo principali referunt. Unde Saavedra *in ſupra alleg. Symbol. LXXIX.* eos appellat exploratores publicos. Rationem hanc perveſtigandi reipublicæ vicinæ ſtatum ac conditionem jam olim in uſu fuiſſe, etiam Frontinus docet exemplo Carthaginenſium, aliquos per ſpeciem legatorum Romam mittentium, qui ibidem longo tempore morarentur, & conſilia Romanorum illa occaſione

exciperent; *Stratagem. Lib. I.* ...
mode autem illi hanc opera...
præſtare poſſunt, idque tanto ...
major ipſis tribuitur honor a...
exiſtimatio. Qua de cauſa pr...
Veneti ſuis legatis, quoties ad...
cas expediuntur, injungunt, ...
tium principale quoque imp...
tionem, qualitates, & adjume...
ræque conditionem; item ſ...
reipublicæ adminiſtrationem, ...
ad pleniſſimam civitatis ali...
ſacientia, diligenter cognoſca...
tem reipublicæ ſuæ uſum con...
Veneto offerant. Unde & ...
que Italorum Relationes publ...
parte originem ſuam ducunt. ...
VII. Angliæ magnam ſui ac...
hinc de prudentia exiſtimat...
riam apud exteros, facile mov...
rum Europæarum notitia; q...
parte per legatorum ſuorum ...
comparaverat: quemadmodu...
in Hiſtoria Regni Henrici huj...

Porro & occaſione belli ejus...
opera cumprimis indiget Pri...
ne quicquam prudenter & ...
his agere poſſit. *Ac prodeſſe* ...
Xenophon, *per ſpeculatores* ...
ſtatum cognoſcere, jam dudu...
luit. *Ego vero illud omnino* ...

Digitized by Google

tror eſſe, ut idem tentemus, ſicunde ex tuto res hoſtium ſpectari & conſiderari, ac ſi quid illi peccaverint, cognoſci poſſit: in Hipparchico, ſeu de Magiſt. Equit. Offic. Quapropter etiam Marii prudentiam in expeditione contra Jugurtham & Bocchum extollit Salluſtius in his: *Sed Marius impigre prudenterque ſuorum & hoſtium res pariter attendere; cognoſcere, quid boni utrisque aut contra eſſet: explorare itinera Regum; conſilia & inſidias eorum antevenire, nihil apud ſe remiſſum, neque apud illos tutum pati.* Atque Jul. Cæſarem hujusmodi hominum miniſterio ſedulo & utiliter quoque uſum, palam eſt ex ipſius Commentario paſſim. Illi etenim ad notitiam noſtram utiliſſima, imò ſcitu maximè neceſſaria, deferunt. Hinc ſcimus, quibus viribus hoſtis ſit inſtructus, quomodo milites ſint comparati, & quo animo erga ſuperiores ſuos, quis eorum numerus; an copioſe habeant, unde vivant, an vero inopia laborare incipiant; quid intendant, & innumera alia: quo ad hæc omnia noſtra conſilia in hoſtis perniciem componere, mala verò nobis ab ipſo imminentia in tempore declinare valeamus. Eo pertinent, quæ Tacitus de Germanico, contra Germanos agente, commemorat: *Nihil ex iis*, inquit, *Caſari incognitum: conſilia, locos, prompta, occulta noverat, aſtusque hoſtium in perniciem ipſis vertebat:* Lib. II. Annal. cap. 20. Quæ etiam

eſt cauſa, cur hodie bellatores in conſi
ciis hujuſmodi exploratoribus ad ſuu
vitium admodum ſint ſolliciti; & ho
cautum eſſe, in gloriam prudentiæ m
haut minimam exponant.

Atque priori hujus diſcurſus capite i
ſoluto, pergere oportet ad poſterius, de
tatibus nimirum occultorum miniſtr
paucis expediendum. Non quidem a
ta, eaque doctrina & longo uſu confi
prudentia hic opus eſſe videtur; cum
non agant, ſed aliorum actiones & pro
ſive conſilia ſaltem obſervent. Suffici
que, ut intellectus providentia quadam
rali, & ſagacitate ad munus ſuum ca
dextre expediendum ſit exornatus. I
tamen, qui apud vicinos populos civili
rum exploratorem agit, exquiſitiorem pr
tiam civilem deſidero; quod illa occ
ejuſmodi advertenda occurrant, quæ n
ab accurato politico diſcerni & notari
dum poſſint. Prudentiæ politicæ eni
nè rudis quæ obſervabit, Principi vel n
vel exiguum uſum ſuppeditabunt.

Maximè autem eſt providendum, u
viri (quemadmodum & ipſius Principis
tio bona ſit ac honeſta) ad hanc expedit
eligantur, & tales, qui habeant refrenat
fectus; ne amore in hunc, vel odio in illi
quam referant, quod a vero ſit alienum.
nulli præter hos majorem Principi impo

commoditatem nanciſcuntur: ut ſane ſi in republica malitioſe ſuo officio defuncturi ſint, injuſtitiæ & omnis generis iniquitatum cauſa exiſtant, totiusque principatus quaſi mali genii: & rectè cum Tacito dicendi ſint *genus hominum publico exitio repertum*; Lib. IV. Annal. cap. 30. Sed & circa negotia extranea conſtituti, ſi improbi, maximorum quoque incommodorum cauſa ſunt, & ſummè periculoſi.

Quapropter fides illorum ita ſit comperta & explorata, ut omnino de relatione eorum fideli, & vero conſentanea, certi eſſe poſſimus: tum in aliis, præſertim vero in occupationibus bellicis ſint tales; quoniam hæ periculis maximis & præſentiſſimis ſunt plenæ. Ut Principi conveniat, hic ante omnia eſſe circumſpectum, quo minus exploratorum relationibus temere & facilè credat; niſi eorum fidem in quamplurimis jam ante comprobâverit. Ut autem ejusmodi hominum voluntatem ad noſtra ſervitia præparemus, hæc effuſa libertate eſt conſtringenda. Quamobrem quoque Cyrum, & regis occulos (ita appellatos) & regis aures, non aliter adeptum eſſe, quam munerando honorandoque, animadvertit Xenophon in Pædia hjus Cyri *Lib. VIII.* Nullibi enim ſuam pecuniam utilius erogabit Princeps quam in hiſce, a quorum fide ſalus publica, & quoque ipſius, non raro dependet,

Denique & taciturnitas
ipſis atdſit. Niſi enim cunć
perta fuerint, tenaciſſimo ſup
tio, uſus eorum, & finis,
ſumptibus a Principe aluntur,
ut hinc ipſi Principi interdum
tius exiſtant. Nam quoties
tenus talia, divulgantur, evar
boni effectus; in animis in
ſuſpicio potius movetur contra
odium; vicini, ac etiam hoſt
ſua arcana majori cura atque
cum noſtrorum conſiliorum
mento, celabunt.

CAP. XII

DE

Prudentia judi

POſtquam de prudentiæ
gendæ civitatis parte, qua
tui ſalutares condere docet, it
oſtendit, quomodo conſilia
publicam dirigentia, ſint inv
ced: capp. ſatis pro inſtituti
ctum: reliqua eſt ea, quæ ju
æquum ab iniquo, circa negot
ta, eaque in controverſiam re
demonſtrat. Mirum autem v
ſe hic de prudentia judiciaria

noſtris moribus ipſi Principes non adeo ſoleant eſſe ſolliciti de jure inter cives dicendo, illud negotium ſuis juſtitiæ adminiſtratoribus committentes. Verum illam prorſus intactam prætermittere nec ſumus auſi, quia ipſi Reges primis temporibus hoc munere adminiſtrandæ inter ſubditos ſuos juſtitiæ defuncti ſunt. Ceu quoque ex illis Ciceronis verbis colligere eſt: *Mihi quidem non apud Medos ſolum, ut ait Herodotus, ſed etiam apud majores noſtros juſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati reges conſtituti: nam cum premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebant virtute præſtantem: qui cum prohiberet injuria tenuiores, æquitate conſtituenda, ſummos cum infimis pari jure retinebat:* II. Officior. Et præterea multi occurrunt caſus, circa quos juſtum & æquum, ut Principi accuratè ſit cognitum, ipſius plurimum intereſt; cum & negotia quædam publica, ipſum inter & vicinos agitanda, menſuram inde atqui rationem accipere oporteat.

Sed & doctrina eſt præſtantiſſima, imo verè regia; ut Bodinus *Lib. IV. de Republ. cap. 6.* in hæc verba prorumpere non vereatur: *Aliarum quidem artium & diſciplinarum ſcientia Princeps carere facilè poteſt, judicandi ſcientia non poteſt, quæ ipſa regalis eſt, & regum maximè propria: cum arte impe-*

ratoria, quæ rem militarem continet, a
ſus hoſtes tantum uti, legitima vero ſc
nec domi, nec militiæ vacare poſſit. Q
doquidem pro ſcopo ſuo habet juſtitiam,
que & quotidie neceſſariam, eamque non
ticularem (ceu quibusdam juris Roman
ctoribus hoc ſuſtinere placuit) ſed univ
lem: de qua, cum ſit virtus appetitus,
poſt pluribus agetur.

Atqui eidem res & negotia præterita ſ
cta ſunt, eaque talia, de quorum juſtit
æquitate dubium eſt, ac diſceptatur.
renda autem eo ſunt negotia interna; ſe
quatenus etiam externa. Atqui per
huc interna, quatenus conſideranda ve
& decidenda, ſecundum juſtitiam, in jure
quælibet civitas utitur, fundatam, inter
las invicem agitata: nec non & inter
Principem ac ſuos cives; cum ſe juri, aut
te ſua conſtituto, ultro ſubmittere, in gl
ipſi & emolumentum cedat. Externa
ſive illa, quæ inter Principem & vicino
pulos eveniunt, hic conſideranda ſu
quantum ea ad juſtitiam, quæ in jure n
& gentium fundamentum habet, exa
utilitas publica requirit. Siquidem in h
gotiis cumprimis Principi curæ ſit, ut pr
ter & juſte verſetur, ne vicinos ſuos er
imprudentia (nam ſi ſponte & ex proær
facit, magis ad injuſtitiam referendu
lædat. Quippe hoc ipſius exiſtimati

apud exteros comparatam, paulatim abſumit, omnemque amicitiam ac benevolentiam corrumpit: cum contraria ratione obſervata utrumque magna ſua cum incolumitate adaugeat Princeps. *Etiam ad amicitias conciliandas* (inquit Grotius) *quibus ut ſinguli, ita & populi ad multas res opus habent, multum valet opinio de bello non temere nec injuſtè ſuſcepto, pieque geſto. Nemo enim iis ſe facilè adjungit, quibus jus, fas, fidem, vilia putat.* De Jur. Bell. & Pac. Prolegom.

Cumprimis autem obſervanda hic eſt methodus ſive ratio ad ſententiam de juſtitia, cujusvis caſus litigioſi inveſtigandam apta. Non inconvenienter fortaſſean hoc negotium in formam ſyllogiſmi, hinc revera practici, redigi poterit: ut major propoſitio ſit jus, ad quod judicium formandum; minor ſit res litigioſa; concluſio vero ſententiam judicialem gignat. Videſis quoque *Weſenb. Parat. ad ff. de Obligat. & Action. n. 11.* Sunt enim leges judici principia concludendi aliquid ſive judicandi de factis civium controverſis: perinde ut eædem legum conditori ſunt concluſiones. Minorem autem quod concernit, ſive factum, eſt illud cum omnibus ſuis circumſtantiis communiter ex actis & probatis accurate & cum cura petendum: & quidem abſque omni animi paſſione; hac enim niſi remota, amici ultra modum ſolent excuſari; & in malam partem accipi omnia, vel ſaltem pleraque, inimicorum.

Ve-

Verum circa utramque propo
jorem videlicet & minorem, o
da ſunt, quæ Conringius *Lib.*
dent. cap. 3. more ſuo ſolidè doc
cet requiruntur, ait, ad id, ut
nas cum cauſis ſive negotiis h
gum ſcilicet & cauſarum e
Aterum certè ſi abſit, judiciun
lum poteſt. Et ſi vero non e
ratio facti naturam diſcen
ipſas, revera tamen etiam hoc
ſæpe in obſcuro ſit non tantum
factum, ſed etiam ſponte ne a
ſponte, num deliberato conſilio
animi motu; invite an per ig
qualem illam, vincibilem ſcil
civilem, quid acciderit. His
poſitis dicendum eſt, ad rectè
videntiam, tum juris, tum facti
mnino eſſe neceſſariam. Ut ju
evidentiæ inſervit genuina int
de æquitas, quæ quaſi anima
legis, reſultat: ita factum non
piis humanarum actionum perſ
notum.

Æquitas hic non accipitur, q
etiam aliàs in Ethicis, pro perfe
appetitus ſenſitivi: ſed hoc lo
ctum pertinet, & prudentia ju
quam celeberrima illius portio
Quare nec eſt idem, quod cle

quam valde convenire ſubinde videntur: cum hæc ſolius Principis ſit, & ab illius affectibus dependeat; æquitas vero legem ſemper comitetur, ejusque voluntati, quam ab intentione ipſius legislatoris potiſſimum ſortitur, ſit conjunctisſima. Ut quoque hinc definiatur *correctio juris ſive legis ea parte, qua lex deficit ob ſuam generalitatem*; ceu colligunt ex Ariſtotele *Lib.V. Ethicor. cap. 10.* Commentatores.

Correctio hæc etiam alias laxamentum legis, & temperamentum, ac moderatio, item ſupplementum dicitur, & correctio eorum, quæ in lege generaliter, vel non ſatis aperte ad facti circumſtantias expreſſa ſunt, & definita: atqui hac de cauſa judicis prudentia determinanda. Nam lex & æquitas in eo differunt, quod lex ſit univerſalis propoſitio, ab omni ſingularitate abſtracta; æquitas vero ſemper facti circumſtantias reſpiciat, adeoque in ſingularibus, ad quæ jus applicare docet, contineatur. Neque ſtatim hoc vitium legislatoris imprudentiæ eſt attribuendum, quando lex omnes caſus occurrentes non definiat, & æquitatis moderatione ubique ferme indigeat: ſed materiæ illi ſuppoſitæ in ſingularibus contingentia hujus rei culpa eſt. Etenim propter varietatem ſingularium infinitam illud ut prorſus impoſſibile ſtatuere oportet. Tanta ſiquidem eſt negotiorum multitudo, & circumſtantiarum diſparitas, ut inter

ter mille actiones, licet ſint ejusdem g
tamen vix duæ reperiri poſſint, quæ in
bus circumſtantiis plane conveniant
Magiro *adcitat. iccum Ariſt.*

Quamvis etiam ſi conditori legum
eſſet, in concipiendis iis ſingularium
nem habere, tantus illarum numerus
niret, ut maximo potius oneri obſeq
bus, quam utilitati illi exiſterent. Atq
quoque (*niſi me opinio fallit*) fuit cau
gentis illius jurium Romanorum molis
tidianis legum interpretationibus (
etiam fuere *reſponſa* Prudentum) in
rabilem civium moleſtiam paulatim c
ſtæ. Conferenda huc ſunt, quæ Ir
Juſtinianus *in* §. 12. *de Concept. Digeſt*
rio monuit: *Noſtram conſummationem*
Vobis Deo annuente componetur, Digeſ
Vel Pandectarum nomen habere ſanc
nullis juris peritis impoſterum aude
commentarios illi applicare, & Verb
ſua ſupra dicti codicis compendium c
dere: quemadmodum in antiquiorib
ctum eſt, cum per contrarias interpr
tium ſententias totum jus pene cont
tum eſt. Quare leges generaliter ſun
cipiendæ; ſingularibus judicum pru
judiciariæ, ad mentem & voluntatem
legislatoris eas interpretantium, permiſ

Ut ex ſupra dictis palam ſit, æquitat
judicando maximopere eſſe obſervar

ſummum enim jus (ut communiter dicitur) ſumma ſæpe eſt injuria. Aſt ex ſubſequenti de principiis humanarum actionum tractatione æquitatis uſus demum evidenter apparebit; cum hæc actionis ſingularis circumſtantiis continuò inhæreat, & ad earum conditionem ac naturam juris rigorem corrigat. Nam aliter atqui aliter ea pro circumſtantiarum facti mutatione ſe habet. Eſt autem omne factum juxta principia hæc humanarum actionum, vel *ſpontaneum*, vel *invitum*. Atqui ſpontaneum conjunctum eſt, vel cum prævia deliberatione ac proæreſi; vel vero cum præcipitantia.

Ad actiones, quæ præcipitanter & repentino aliquo motu committuntur, illas referre oportet, quas vehementi animi perturbatione peragimus. Sed in dubium fortaſſe vocari poſſit, num illæ pure ſint ſpontaneæ ſive voluntariæ; & tales, ut etiam propter has, ſi enormes, pœnam decernere æquum ſit? Nam fortaſſis dicendum, hisce caſibus intellectus cooperationem (præſertim circa ipſum actionis momentum) quodammodo excludi a vehementia affectuum, & agentes ejusmodi motionibus impotenter ad agendum compelli: cum facultas appetens, effrenata & furioſa, rationi imperium præripere, omnemque vim propoſito, ſecundum phantaſiam expediendo, addere videatur. Unde Ariſtoteles *Ethicor. VII. cap.* 3. dicit: *Ira & rerum Venerearum cupi-*

cupiditates, & nonnullæ hujusmodi perturbationes, perſpicue corpus ipſum immutant, ac nonnullis hominibus furores conciliant. Verum utut nes hinc invitæ factæ videri poſſint, & rantes propterea excuſatione dignæ: cum eodem Ariſtotele *Lib. III. Ethicor* potius ſpontaneæ ſunt judicandæ, & ej di, quæ ſi vitioſæ, pœnam legibus de promerentur; cum agens hoc ſibi in debeat, quod officio ſuo deeſſe, & mo ſtiarum, quæ rationis expertes ſuorum ctuum ductum ſequuntur, agere, quam nam agendi rationem amplecti, malue

Omnino autem hic notare convenit cipium talium affectuum vehementiſſim unde factum aliquod forte ſuam ori habeat, interdum tamen in conſidera venire. Unde quoque Cicero ſtatuit: *omni injuſtitia permultum intereſt, perturbatione aliqua animi, quæ pleri brevis eſt, & ad tempus; an conſi cogitato fiat injuria. Leviora ſunt, q pentino aliquo motu accidunt, quam e meditata & præparata inferuntur.* Officior. Nam evenit quandoque, ut il motuum internorum, qualis eſt ira, tant rint cauſæ, eæque ſine agentis culpa co tæ, quibus reſiſtere imbecillitas humana culter permittat. Nemo enim primos in poteſtate ſua habet; & *ira furor*

Poetæ dicitur. Ut pœnæ delictorum ex hac animi paſſione propterea ſint, vel mitigandæ, jubente hoc ipſa æquitate, vel pro re nata condonandæ: modo illa (quod bene obſervandum) in ipſo iracundiæ calore ſint perpetrata. Ut plurima in jure Romano & alibi apud autores, occurrunt exempla.

Hactenus hæc res non adeò magnam requirit curam; quoniam voluntaria facta legibus expreſſe continentur: ſed majori opus eſt ad dijudicanda invita. Invitè factorum nomine autem comprehenduntur omnia illa, in quibus perficiendis operatio interna, vel appetitus, vel intellectus, defuit. Atque hinc etiam in duas claſſes ſunt ſeparanda: vel enim ſunt invita per vim, vel per ignorantiam. Per vim invita pure talia prorſus non imputantur agenti; ut violento principio externo, quod nulla ratione impedire ac declinare potuit, eo adacto. Aſt de actibus ſecundum quid invitis, qui vel majorum malorum metu, vel boni alicujus comparandi cauſa inſtituuntur, aliud eſt dicendum. Nam hi modo laudem, tum reprehenſionem, interdum etiam veniam, prout eorum conditio requirit, merentur; interdum vero ſunt ejusmodi, ut quosvis cruciatus ſuſtinere, imo vitam ipſam perdere, quam hos ſubire, longè melius ſit.

Sequuntur facta per ignorantiam commiſſa; quorum conſideratio haut minorem judici, æqitatem inveſtiganti, lucem præbet.

Eſt

Eſt vero ignorantia hæc, vel univerſali
juris, vel particularium ſive facti. Ig
tiam juris non facere actionem invita
hinc excuſare, communiter quidem
ſed ere fortaſſis eſt, ut iterum diſting
inter jus naturale & civile poſitivum.
equidem planè non excuſat: ceu m
docuit aliquando exemplum, ubi mil
dam, ſimplex homo, contra jus naturæ
verat, & cum ſe ignorantia juris purga
ſtra conaretur, ad ignem condemnat
quamvis tamen hæc pœna, intuitu mag
lius ſimplicitatis, in tantum fuerit miti
illi vivo caput amputaretur, & corpus
ceps igni cremandum daretur.

Ob juris civilis ignorantiam vero a
deformitas non ſemper videtur ager
imputanda. Nam ſi illa ſit nulla noſtra
contracta, a pœna liberat: ut colligere q
eſt ex ſacris literis, & quidem *Lib. I. S.*
cap. 14. quando Regis Saulis filius Jo
contra edictum ſui patris inſciens pecca
ut hic illum propemodum pœna mortis
tra edicti promulgati tenorem citius
æquitatem, affeciſſet; niſi interceſſione
li totius fuiſſet liberatus. De quo caſu
ſis etiam Marianam *de Reg. & Reg. In*
Lib. III. cap. 11. Ita & ruſticis ac plebe
terdum actuum ſuorum illegalitatem
rantia hac excuſare propter animi ſimp
tem conceditur: quodtamen illis, qui

hujus juris profitentur, quales ſunt Doctores, omnibus modis denegatur; Videatur Ritterſhuſius *Tract. ad L. 23. ff. de Reg. Jur.*

Ut ignorantia juris regulariter, quicquid culpæ hinc ad actionem transmiſſum ſit, illud omne in perſonam agentis devolvit: ita facti ignorantia ordinarie, præſertim ſi invincibilis, hoc eſt, ejusmodi exiſtit, quæ nulla diligentia humana præcaveri potuerit, excuſat; vel magis, vel minus. Ut puta, ſi quis ceu arcanum ſecum continere debuiſſet, inſciens tale eſſe, divulgaverit; aut ſi quis hominem interfecerit, dum ſibi imaginatus eſt, fuiſſe feram; item ſi aliquem graviter vulneraverit haſta, quam obtuſo putavit eſſe mucrone, cum tamen acuta fuerit; aut ſi non comparuerit in judicio, ignorans eo die judicium fuiſſe habitum: & quæ ſunt infinita alia. Si autem ignorantia illa vincibilis eſt, adeoque, vel craſſa, cujus cauſa eſt imprudentia aut oſcitantia intoleranda; vel affectata, aliud pro re nata eſt ſtatuendum.

Quare in quæſtionem merito veniunt delicta, quæ ab ebriis committuntur. Nam hisce ob ebrietatem in ſummo gradu adeſſe quidem ignorantiam eorum, quæ agunt, experientia teſtis eſt: verum quia ebrietatis procul omni dubio ipſi ſunt cauſa, & magna præterea hic varietas occurrat obſervanda, alio atque alio quoque modo æquitas in hujuscemodi caſibus ſeſe habet. Interdum enim ad ordina-

diuariam pœnam exſolvendan
nonnunquam verò, ſi præter
caſu inebriati ſunt, pœna ſalte
ria a ſapiente judice puniuntu
l.6. §.7. ff. de Re militar. &
Romani, hanc rem aliquot d.ſ
gregiè illuſtrantes.

Verum cum diutius fortaſſis
to de Principiis humanorum a
rimus, quoniam exinde demur
tio conſtat; jam itaque, & capi
diſcurſui de virtutibus ad intel
pis ſpectantibus finis hic conſti

CAP. XIV

DE

Virtutibus moralibus & in ſpecie.

CUm perfectiones non ſo
ſed quoque appetitus, Pri
lem maximopere deceant, atq
nus pro inſtituto noſtro ſatis a
ordinis ratio, ut ad has perg
doquidem prudentia & virtu
ſunt combinatæ virtutes, ut n
parari debeant, ac poſſint :
illud eleganter demonſtrat *I*
cap. 13. ut tandem hunc in mo
Ex iis igitur, quæ dicta ſunt,
nec ſine prudentia quenquam

Digitized by Google

bonum eſſe poſſe: nec prudentem ſine virtute ea, quæ ad mores pertinet. Hiſce adjungenda ſunt, quæ *Lib. X. Ethicor. cap. 8.* docet: *Quin & prudentia*, ait, *conjuncta eſt cũ morum virtutibus, & vicisſim hæc cum illa. Siquidem principia quidem prudentiæ habent ſe perinde ut virtutes, quæ dicuntur morales: quod autem rectum in moribus eſt, a prudentia deſcendit.* Ut ergo virtutes morales eſſentialem ſuam proprietatem, atque pulchritudinem, qua eminent, & maxima laude digniſſimæ exiſtunt, a prudentia ſortiantur; quippe quæ rectrix ſit & moderatrix earum. Indicat præterea hoc virtutis moralis definitio, qua dicitur *habitus electivus, conſiſtens in mediocritate, quæ nos reſpicit, & determinatur a recta ratione, ſeu ut vir prudens eam determinaverit:* quemadmodum ipſam ex Ariſtotele ita definit Horneus *Diſput. Ethic. II. th. 39.*

Et quamvis Princeps haſce animi perfectiones ut homo negligere vellet, ut Princeps tamen ipſum teneri earum deſiderio, jubet ſalus publica, & ipſius perennis conſervatio requirit. Nam *nihil Principem tam commendat populo, quam domeſtica & militares illius virtutes* (veluti hoc bene obſervat Campanella de Monarch. Hiſpan. cap. 17.) *quæ omnes omnis generis ſubditos illi fideles efficiunt; cum ſint fundamenta omnium principatuum.* Ceu econtra inordinatæ animi paſſio-

nes & vitia ipſum huic eminentiæ redd
eptiſſimum. *Cui tandem hic libero* (
Cicero Paradox.) *imperabis, qui no*
cupiditatibus ſuis imperare; refran
libidines, ſpernat voluptates, irac
teneat, coerceat avaritiam, catera
labes repellat: tum incipiat impera
ipſe improbiſſimis dominis, dedecor
pitudini, parere deſierit: dum qu
obediet, non modo imperator, ſed l
bendus omnino non erit. Adeo au
animi perfectiones ſive virtutes moral
ſummo gradu adſint; ut non ſolum
ptis, verum etiam exemplis ſuorum in
actus ad honeſtatem & reipublicæ con
efformare hacce ratione poſſit. Abs
rum notitia enim, aut etiam in illas pr
ne, impoſibile eſt, ut bonum legi
agat. Quomodo enim aliis præſcril
vel ideam ipſe animo non teneat, v
non flagret. Nam ut illud in cauſa
non poſſit; ita hoc faciet, quo minus
præſtare velit.

Ad hæc ſpeciem ac rationem a
Principis intuentur ſubditi, & imitari
quippe

Regis ad exemplum totus con
orbis.

Confer omnino huc ea, quæ Camerar
Succiſiv. Cent. I. cap. 66. notat: con
enim ibidem quamplurimæ hiſtoriæ h

gie aſſerentes atque illuminantes. Adeò autem verum illud eſt, ut & aulica vitia ſtatim conſpicere liceat in actibus incolarum: præſertim aulæ viciniorum; quamvis hæc aberrationum idea paulatim in omnia reipublicæ membra penetret; ceu etiam colligere eſt ex Diſcurſu Nic. Machiavelli *ad Liv. Lib. III. cap. 29.* Unde itaque conſtat, & imperantis vitiis totum corpus civile ſummopere inſici ac tandem enecari: velut hoc ipſum veterum rerumpublicarum monumenta, nec non magnæ mutationes ac ruinæ politicorum ſtatuum quovis tempore oſtendunt. Quare neque utile, neque etiam *fas eſt* (ut dicit Mariana de Reg. & Reg. Inſtitut. Lib. II. cap. 12.) *qui lucem civibus præferre debet, quam ſequantur, eum in ſordibus & in cœno vitiorum volutari.* Audiat Princeps Auguſtin. Niphum cum Socrate ita dicentem: *Ne putes alios compoſitis & moderatis moribus vitam ducere oportere, Reges autem licentioſis & incompoſitis: ſed tuam temperantiam & moderationem aliis exemplū ſtatue, utpote qui ſciant, perinde civitatis mores eſſe, ac Regum.* Lib. V. de Reg. Perit. cap. 2. Item idem *de Rege & Tyrann. cap. 18.* inter alia & hoc præceptum obſervandum præſcribit: *Mores ita omni ex parte componat, ut ipſum veluti exemplar ſpeculumque cives ſibi ipſis proponant. Nam quid indignius, quam privatos homines honeſte ac moderate vivere, Reges*

autem ipſes turpiter ac licentioſe. ... *illud Platonis exploratiſſimum; tales* ... *tere eſſe ſubditos, quales fuerint Pri*... Quippe actiones Principis, cum oculos ... ctorum in ſe convertant, maximè rec... oportet, quo ſubditis regulæ inſtar, ad ... mores eorum ſine errore dirigantur, ſe... Quandoquidem *flexibiles in quamc... partem ducimur a Principe* (notat e... ter Plinius in Panegyrico ſuo, Trajano ... *atque, ut ita dicam, ſequaces ſumus* ... *enim cari, huic probati eſſe cupimus* ... *fruſtra ſperaverunt diſſimiles. Eoq... ſequii continuatione pervenimus, ut ... omnes homines unius moribus viv... Porro non tam ſiniſtre conſtitutum e... qui malum principem poſſumus, bonu... poſſimus imitari. Perge modo Cæſ... vim effectumque cenſuræ tuum prop... tui actus, obtinebunt. Nam vita Pr... cenſura eſt, eaque perpetua; ad hanc... gimur, ad hanc convertimur: nec ta... perio nobis opus eſt, quam exemplo.*

Poſſunt autem virtutes morales Pr... ab effectu, quem egregium hac occaſio... giuntur, in duas claſſes commode ſe... ſcilicet in eas, quæ admirationem magis ... tant, & per conſequentiam venera... quam amorem; & eas, unde magi... quam admiratio in animis ſubditorum ... tur. Atqui hac ratione obtinetur qu...

necà circa ſtatum Principis notat, quando dicit: *Illius demum principis magnitudo ſtabilis fundataq; eſt, quem omnes ſupra ſe eſſe quam pro ſe ſciunt.* Virtutes enim, quæ admirationem & reverendam in civium animis opinionem gignunt, Principem ſupra ſuos evehunt; ut cæteræ beneficentiam, in imperio ſubjectos hinc redundantem, ad ipſum amandum compellunt, omnes vero ſimul junctæ obſequii promptitudinem oppido adaugent. Atque tanto vehementiori obſequendi deſiderio flagrant ſubditi, quanto majorem in ſuo Principe animi perfectionem ſibi imaginantur. Quandoquidem *in quaque re*, ut bene obſervavit Socrates, *illis obedire potisſimum homines volunt, quos putant præſtantisſimos eſſe: nam & in morbo illi potisſimum obediunt, quem putant medicina excellere: & in navi qui navigant, navigandi peritisſimo: & in agricultura agricolationis maxime perito:* teſte Xenophonte Lib. III. De Fact. & Dict. Socratis.

Quod illos mores attinet, propter quos ſuos imperantes admirantur, ſunt ii eminentiores, & rariores. Unde Cicero Lib. II. Officior. *Admirantur communiter illi quidem omnia, quæ magna & præter opinionem ſuam animadvertunt: ſeparatim autem in ſingulis ſi perſpiciunt nec opinata quædam bona: itaque eos viros ſuſpiciunt, maximisque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant*

ſe excellentes quaſdam & ſingulares perſpicere virtutes. Et paulo poſt: *Admiratione autem,* inquit, *afficiuntur ii, qui anteire cæteros virtute putantur, & cum omni carere dedecore, tum vero iis vitiis, quibus alii non facile poſſunt obſiſtere.*

Ad hanc priorem claſſem referri debet Pietas, item Fortitudo, Magnanimitas, Magnificentia. Inter quas animi perfectiones pietas cumprimis Principem, etiam ut Principem, decet. Siquidem *nihil eſt* (ſunt verba Aug. Niphi de Regnan. Perit. Lib. V. cap.12.) *quod magis Principem veneratione dignum faciat, quam religionis obſervatio: hac enim Numam Pompilium, Herculem, Alexandrum, Æneam, cæteroſque, qui religionis cultum locupletarunt, non ſolum omni laude dignos effecit, ſed inter Deos connumeravit Antiquitas.* Cœlicolarum numero igitur Principes adſcribit, atque ipſorum famam poſteritati venerabilem præſtat: ſed & ſtatus politici vinculum & ſtabile fundamentum vel propterea eſt; quia ſubditorum animos in fidelitate quàm maxime conſervat, & obſequendi cupiditatem efficacem ingenerat. Amor enim inde & veneratio erga imperium habentem innaſcitur (ceu bene notat Lipſius *Lib. I. Monit. Polit. cap. 2.*) nec exteri facile, aut ſubditi, lædent, cui Numen amicum & propitium arbitrantur: ut hac ratione multo ſecurior ſit. Quapropter & Romani accurati ob-

ſer-

ſervatores religionis (quamvis Ethnicæ) fuere, & huic reipublicæ ſuæ accrementum & conſervationem magna ex parte imputarunt: ceu colligere eſt ex Valerio Maximo *Lib. I. cap. 2.* Hac virtute cumprimis quoque laudabilis olim fuit Johannes Daniæ Rex: ut occaſione improviſæ exundationis maris, eum aliquot dies præter voluntatem Ripæ detinentis, poſtquam vim illius cum admiratione contemplatus, in hanc meditationem, veræ pietatis infallibilem indicem, inciderit, atque ad aſtantes non minus Chriſtiane quam regie dixerit: *Ecce Regem Regum, Dominum dominantium! merito eum ſupra omnes poteſtates, quæ in terris, veneremur: qui non ullo telo bellico machinave, ſed hoc uno elemento, nos invitos oppido hoc clauſos tenet. Igitur, quas hoſtibus noſtris nunquam dedimus, nunc Altiſſimo, cujus terra atque mari infinita eſt potentia, ultro victi manus demus. Huic ſit laus, honos & gloria, usque in infinita ſecula.* Velut Joh. Meurſius in ipſius Vita hæc notat. Optanda foret in omnium Magnatum animis tanta Numinis divini reverentia; neque vel ab una parte ſuperſtitione (ceu aliquando contingit) vel ab altera contemptu Majeſtatis divinæ, maculata: ſic forte multi ſtatus politici adhuc florerent, jam iræ divinæ ſubjecti.

Verum ut vera pietas in Deum regiminum civilium eſt conſervatrix, ita econtra impietas

in imperante omnem obedien
ſolvit, & Dei vindictam, ut is
verſam fortunam, velut perp
adjungat, oppido contra ſ
Hiſtoriæ & quotidiana expe
unde conteſtantur. Haut al
mulata religio ſuppeditat, qu
ad exiguum temporis momen
cipitur: ut fidem habeat, o
voluntatis divinæ, honeſtate
publicam, inſtitui; & hoc
tædioſæ ſervitutis contineatu
gulam rationis ſtatus aſtuti ty
nationem damnatæ ſuæ in
obſervare ſolent. Siquidem
litia, inquit Saavedra Symbo
tum apud hominum animo
quare hac potiſſimum utitu
ſuas technas, quibus ſimplic
cillime decipit, qui, cum ſ
penetrare nequeat, ſibi pe
lum tendere ad Deum re
tium, ut bona fortunet temp
na poſtea præmia conferat.
loco omnino ſunt adjungen
de immanitate Neronis, ſu
peracta, enarrat *Lib. XIV.*
Quamvis olim magnis quoq
pulum in ſuperſtitione deti
familiare fuerit: etiam ad bon
nulla res multitudinem effica

ſuperſtitio. Verum enim vero *omni ſcelere major improbitas eſt* (ceu diſſerit Forſtnerus Not. polit. ad Tacit. II. Annal.) *religione non alio fine uti, quam regnandi inſtrumento.* Adde hisce, quæ idem *ad Lib. I. Annal.* circa illa verba : *Ut ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſa ſemel mentes ;* obſervat. Verus autem demum cultus Deo ter Opt. Max. eſt acceptus, & floridum reipublicæ ſtatum perennem conſervat : non falſus, nec fictus, nec erroneus.

Ita Princeps erga Numen cœleſte ſit animatus : ſequuntur jam illæ virtutes, quæ potius inter homines coluntur, expediendæ. Præſtantia ſua autem ex iis eminet fortitudo : cum hæc principibus & heroibus cumprimis conveniat, & maximè utilis ſit, ut in abarcendo a republica malo, & quavis moleſtia animoſe perferenda, communis tantummodo commodi cauſa, occupata ; unde quoque virtutis heroicæ appellatione ornatur. Nam ut à vicinorum ſuorum malevolentia nullus principatus immunis ; ita perpetua hinc bella, eaque ſæpenumero graviſſima, mox ab uno mox ab altero ei imminent : quæ niſi fortiter à Principe ſuſtineantur, & depellantur, toties de ſe actum eſſe putet. Nec tamen convenit, ut ſeſe in quodvis periculum imprudenter præcipitet. Nam *qui temere & quaſi cæco animo cuicunque periculo ſeſe committit* (ceu apud Gaſpar. Ens hæc obſer-

ſervatio inter Monita polit. no
ſuarum potius, quam homin
habendus eſt. Vir fortis enim
mum magnitudinem omnesqu
tias conſiderat; deinde quicq
vel neceſſitas, juſſerit, intr
tur.

Propriiſſimè quidem in be
fortitudo eſt conſpicua: attam
iam in quibusvis arduis ſuſtin
ria. Eveniunt enim ad clav
ſedenti non ſolum bella, (mag
lorum formidinem incutien
quotidie moleſti labores, inſo
& tædioſa impedimenta, civi
curſum valde morantia; quæ
animi viribus & immota conſt
oportet. *Nec Principem te*
Saavedra Symbol. XXXIV.)
aſpectus: per enim pauca ſun
quæ prima fronte jucunda a
mnia ſpinis referta videntur
tibus. Sed experiundo mult
lia, quæ ſegnibus ardua vide
vero eorum omnium ponderi t
bit, mollis potius, & majeſtat
pax, eſt æſtimandus, quam Pr
dignus.

Vicina admodum huic virtu
mitas; ut quoque haut alia
Ciceroni accipiatur. Verum,

parationem faciamus, magnanimitatem hoc loco cum Ariſtotele in Ethicis ſpeciatim pro mediocritate appetitus circa magnos & ſublimes honores ſtatuimus: quamvis & generatim in eo, quodcunque in rebus humanis magnum, ſit occupata. Eſt autem hæc animi perfectio, cum maxime à magnatibus exerceri poſſit, quoque omnino ab ipſis cum cura tenenda. Cumprimis vero Principi magnitudinem animi quavis occaſione oſtendere incumbit: ſed ita, ne divinos honores & titulos cum Alexandro M. & aliis ejusmodi honorum immoderate cupidis; ſupra ſuam ſortem inconſiderate appetat; cum inter homines quidem ſupremum & digniſſimum, at Deo tamen minorem ſe eſſe ſciat. Et vel propterea ab iſto vitio ſibi temperet, quod inopinata incommoda ſecum involvat. Conjicit enim ſe ſuperbus in graviſſima ſæpiuscule mala, unde vix ac ne vix quidem emergere interdum poſſit. Huc facit proverbium Ludovici Regis Galliæ, qui dicere conſuevit, *dedecus & detrimentum eſſe comites ac pediſſequas ſuperbiæ:* ceu de ipſo hoc obſervat Philipp. Cominæus in Hiſtor. ſua.

Denique & magnificentiam Princeps, velut virtutem ſuæ eminentiæ convenientisſimam ſedulo notare debet. Quæ ſplendorem imperatorium & majeſtatem in magnis ſumptibus, ſuam perſonam & dignitatem præcipuè decentibus, conſervare docet. Facit au-

tem ejuſmodi ſumptus, circa quos hæ
diocritas ipſi eſt tenenda, in res, vel qua
vatas; quales ſunt illæ, quæ ipſum reſpi
ut palatia, horti, familia, veſtis, & qua
hujus generis aliæ, ad ſplendidam v
rationem deſideratæ: vel in communes
ad ſacrum, vel profanum uſum relatas;
modi ſunt templa, altaria, munimenta,
& quæ ſunt hujuscemodi quamplurima
alia. Perquam egregia magnificenti
numenta poſt ſe reliquit Chriſtianus IV
rioſiſſimæ recordationis, quæ magno r
paſſim in regno Daniæ exſtant, uſibus, t
cris, tum profanis deſtinata: quibus la
ſimus Rex nomen ſuum in perennem
regiæ virtutis gloriam & admiration
poſteros tranſmiſit, atqui æternitati co
vit.

At verò ita meus Princeps magnific
colat, ne ad luxum, quem omnino
debet, declinet. Nam inepta atque
nabilis magnorum ſumtuum profuſio
vitium perditum & Principi damnoſi
Tanto autem magis illud ipſi eſt fugie
quia *blandum malum eſt luxuria, qu*
obſervat Val. Maximus Lib. IX. cap. 1.
ſare aliquanto facilius eſt, quàm
Sed corrumpit incolarum mores, in h
nitatem facile ductiles, autoritatem l
reverentiam ad ſceleratiſſimam tyra
compellit, in ſumma, reipublicæ peſti

eam deſtruit: quemadmodum hoc ipſum plurima exempla ſuo eventu docent.

Atqui hæc circa priorem virtutum claſſem diſſerere operæ precium duximus: reſtat altera, ſcilicet virtutum earum, quæ primario amorem, & hinc fidem, in imperio ſubjectis excitare valent. Huc referimus reliquas virtutes. Quippe *voluntate benefica* (ſunt verba Ciceronis Lib. II. Officior.) *benevolentia movetur: etiamſi res forte non ſuppetit: vehementer autem amor multitudinis commovetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum & ad facilitatem.* Item omnino hic ſunt notanda, quæ idem in Lælio non minus eleganter obſervat: *Nihil eſt amabilius,* inquit, *virtute, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus. --- Quod ſi tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod magis eſt, in hoſte etiam diligamus: quid mirum, ſi animi hominum moveantur, cum eorum, quibuscum uſu conjuncti eſſe poſſunt, virtutem & bonitatem perſpicere videantur?* Et quæ ſequuntur, huc quoque faciunt. Antequam autem ad ſingulas virtutes elucidandas deſcendamus, adhuc pauca quædam de utilitate ac neceſſitate benevo-

lentiæ civium in ſuos imperan
tatæ, ſunt præmittenda: ut Pr
gnoſcat, quanti ſua interſit, eti
tutum in adminiſtratione p
perſunctoriam habere rationem

Qui invitis imperat, tyrann
continuabit ſuum imperium:
lentia ſubditorum eſt murus
Princeps tutus eſt ab omni pe
& externo. Quandoquidem
perium tutum, niſi benevol
ceu ex vero concludit Cornel.
ne. Atque; *imperium iſtud
dum, quod voluntarium eſt*
Machiavellum *Lib. II. Hiſtor.*
re jam ante allegatus Cicero
propenſionem civium ſibi co
hementer perſuadere conatur
chre ita dicit: *Quod igitur
neque ad incolumitatem ſol
ad opes & potentiam, valet
amplectamur, ut metus abſit.
tineatur: ita facillime, qua v
vatis in rebus, & in republica*
Item in Lælio: *Nec verò neg
ma: nec mediocre telum ad r
ſtimare oportet benevolen
quam blanditiis & aſſentati
turpe eſt; virtus, quam ſe
minime repudianda eſt.*
alii Doctores politici illam, c

crum ſtatus civilis ſtudioſe inculcant, quaſi absque ea nec ſalus publica obtineri, nec imperii ac obſequii vinculum illa ratione inviolabile eſſe poſſit. Legatur inter alios Ludov. Septalius *de Rat. ſtat. Lib. II. cap.* 3. ubi hinc inde egregia, hanc ſententiam graviter confirmantia, adducuntur. Cui conjungi poteſt Lipſius *Lib. IV. Politic. cap. 8.* quo in loco benevolentiam populi in ſuum regem, virtutem regnorum ſervatricem ac robur & pondus principatus, eſſe contendit. Imo ipſe Machiavellus (quamvis alias magiſter politicus non probæ ubique notæ) paſſim docet, amorem civium præcipuum eſſe principatus præſidium; atteſtante illud ipſum Conringio *Animadverſ. ad Princip. ejusdem cap. 15.*

At vero, ut amor omnia patitur, onera etiam iniqua interdum ſuſtinet, errores excuſat, & quicquid admittit: ita odium cuncta improbat, & in deteriorem partem vertit; etiam illa, quæ alias nec bonitate carent, nec utilitate. Nam *inviſo ſemel Principe*, inquit Tacitus Lib. I. Hiſtor. *ſeu bene ſeu male facta premunt.* Adeo animi paſſiones cum aliorum, tum maximè inconditæ plebis, judicium circa negotia politica ſubvertunt. Nec quicquam conſervationi Principis magis obeſſe præſupponendum eſt, ac incolarum animos, metu ob malum a tyrannico Principe ſibi imminente perculſos, & hinc acerbo odio flagrantes. Quandoquidem eo ipſo, cum me-

metui a ſuis quam amari mavult, vel
magnis ſe involvit periculis. Huc re
ſunt, quæ Xenophon in ſua Pædia *Lib*
tat ex opinione Cyri, quem quaſi loq
hoc modo producit: *Quod vir princep*
bus ſimul ſubditis ſit infeſtus, hoc n
mihi videtur erratum. Neceſſe es
qui metui multis eſt, is multos facia
cos: qui vero omnibus ſimul infeſtus
omnibus concordiam injicit. Atqui ſe
Ennii ſententiam:

Quem metuunt, oderunt:

Quem quisque odit, periiſſe expeti

At vero ſolet ſæpe praxis politica a
potius, tanquam pro ſcopo ſuo obtin
lutare medium, imprudenter confuge
ad amorem in populo concitandum
colligere eſt ex illo Diſcurſu Baudii:
hil aptius eſt (inquit Lib. II. de In
Belgic.) *ad imperii diuturnitatem*
amari, coli, venerari, nihil alieniu
timeri, nec quisquam a multis m
quin ejusdem peſtem ac perniciem
ex multis redundet: tamen hæc mo
nis & colligenda benevolentia diſcip
non capitur, vel contemnitur ab im
regum conſiliariis, qui vim putant
mius & ſtabilius frænum adcoerce
ves, quam ſpontaneum obſequium
tate & clementia ſubnixum, malun
dem cogi quam ſperari, & in arcibu

caſtellis potius, quam in animis collocant ſedem auguſtæ majeſtatis. Suppeditat autem omnis malevolentia cauſam ad contemptum, conjurationes, rerumpublicarum magnas mutationes, & ſæpenumero totalem ruinam, oppido impellentem. Sive illa ſit juſta de cauſa ex injuria a Principe ipſo atque ipſius vicariis quacunque ratione collecta; ſive in falſa ſaltem & erronea vulgi opinione poſita, ut nec ulla juſtæ indignationis cauſa ſubſit.

Hisce præmiſſis accedimus ad ipſas virtutes, benevolentiam ſubditorum Principi cumprimis conciliantes. Referimus autem eo Temperantiam; Liberalitatem; Modeſtiam; Juſtitiam; Manſuetudinem; & Virtutes Homileticas, quas Ariſtoteles in Ethicis ſuis ita appellat. In noſtro ordine primum locum habet temperantia. Quæ ſubditos non tam beneficii quodam genere, quam ipſius honeſtatis deſiderio, ad Principem amore proſequendum invitat. Quandoquidem hæc non adeo afficit, nec quicquam (in ſe & abſolutè conſiderata) præter laudabile exemplum, in ejusmodi actibus imitandum, quod gratum eſſe poſſit, in eos transfert; ſed cumprimis ad corpus Principis conſervandum, atque animum, & ipſum honeſtum facit.

Verſatur autem temperantia circa voluptates primario, & deinceps etiam dolores; quatenus ex cibo, potu, & Venere percipiuntur. Et quidem circa voluptates occupata

eſt,

eſt, quas ex objecto præſenti concepta
decori gyrum cohibet: circa dolore
quos homo ex objecti hujus abſentia &
tia ſentit, ſecundario ſaltem & per ac
ut eos ad juſtam mediocritatem rediga
ſertim vero hic in conſiderantiam veni
luptates particulares, ſive acceſſoriæ, ſ
quadam imaginatione, quam vel natur
poſitio corporis, vel conſuetudo, v
quid, confirmavit, acquiſitæ: quæ
nec animalibus cæteris communes, nec
bus hominibus eædem ſunt, ſed pro di
te individuorum aliæ atqui aliæ.

Ex objecti conſtitutione promanant
es, quas Ethici hic obſervare jubent.
autem illæ; Frugalitas reſpectu nutrim
quoad venerem Caſtitas. Ad fruga
referunt abſtinentiam, quæ circa cib
ſobrietatem, quæ circa potum, naturæ
ctæ rationi conſentaneam medioc
præſcribunt. Sunt ſane hæ appetit
derationes in ſubditis ingenti laude
ſed Principis exiſtimationem & gloriam
primis illuſtrant: quod illi multoties
& occaſione ad exceſſus utili, deſtituti,
ro ſola actionis rectitudine compulſus
ramenta animi circa cibum, potum, &
rem, ſequantur. Quamvis & tempe
ad retinendum imperium, atque illud
augendum, plurimi apud omnes æſti
teſte Beliſario *Lib. de Educat. Princip.*

Vitia quod concernit, huic virtuti oppoſita, in defectu rarius, ſed in exceſſu frequentius peccatur: aliisguloſitati, aliis ebrioſitati, & inordinatæ libidini aliis, nimium indulgentibus. Inter quæ ebrioſitas cumprimis animum, etiam bene natum ac honeſte educatum, oppido corrumpit, atqui a ſua naturali & acquiſita bonitate deflectit: ut ex homine, undecunque virtute quantumvis bene munito, immanis haut raro beſtia evadat. Ceu ipſi quoque Alexandro M. contigiſſe, pereleganter à Curtio obſervatur, hiſce verbis: *Cæterum ingentia*, inquit, *animi bona illam indolem, qua omnes reges antecesſit, illam in ſubeundis periculis conſtantiam; in rebus moliendis efficiendisque velocitatem; in deditis fidem; in captivos clementiam; in voluptatibus, permisſis quoque & uſitatis, temperantiam; haut intolerabili vini cupiditate fœdavit*: Lib. V. cap. 7. Sed & magnopere Principi eſt obſervandum, illicitam venerem omnium maximè incolarum animos, cumprimis ſi ea valde enormis ſit, perſtringere: ut vel hinc (quotidiana experientia teſte) contemptus & acerbum ſæpe odium in Imperantem provocetur; imo exceſſus hic multo majorem vim ad excitandam averſationem in ſubditorum animis habere videatur, quam medioctitas, hac occaſione obſervata, propenſionem. Quapropter hoc vitium morali ſua immanitate, & exceſſus interdum magni-

gnitudine, non ſolum tu
etiam ſaluti & incolumitat
ſiſſimum, contingit: cum
corpus corrumpant, conſ
benevolentiam civium, at
gravius eſt) ipſius Dei ter
tiam, in ſummam non rar
licitatem ſuam, perdant.
Forſtnerus *ad Tacit. Li*
notat.

Sequitur liberalitas:
populi actu ipſo magis elic
enim revera exercet, qui li
ficio affecti animum hoc in
devincit. Quæ mediocrit
gandis pecuniis, iisque
mantur, tum quoque in
(quamvis improprie) app
deratur. Atqui actiones
maxime facit commend
præſertim illa, quæ non
ſed honeſtatis intuitu poti
corum exercitatur. Egr
ea occaſione Imperat. Aug
ſonam benevolentiæ popul
davit; *V. Sueton. in ipſius*
& Principi hic quædam cir
tentiam Ariſtotelis *Lib. IV*
obſervandæ; velut perſona
ficii, & qualitas, item temp

Perſona duplex, vide

donum accipienis. Quæ dat, hic eſt Princeps. Nullam benefaciendo præ ſe ferat difficultatem, aut moleſtiam; ſed libenter & cum voluptate quadam cumprimis Principem donare oportet. Perſona autem, in quam liberalitas exhibenda, cum diligenti cura ſemper conſiderari debet; ne indignus munere beetur (ceu quotidie alias evenit) dignus vero negligatur. Nam imprudenti iſthac beneficiorum erogatione Princeps benemeritorum malevolentiam & indignationem facile ad ſuum damnum evocabit; animis eorum ſic acriter tactis. Addo & hoc, quod omnes boni de Principis prudentia hic neglecta ſiniſtrè ſint judicaturi; idque in exiſtimationis comparatæ haut modicum detrimentum. Quapropter quoque hic error politicus, quamvis videatur levis, a principali majeſtate tamen ſedulò eſt evitandus.

Deinde & muneris ipſius quantitas examini prudentiæ ſubmittatur: diligenter perpenſa dignitate, tum benefactoris, ſcilicet Principis, tum quoque illius, qui beneficio afficiendus. Nec enim reditibus Principis, illud conferentis, nec meritis accipientis ſit majus. ſi vires fiſci excedit, ad extraordinarias & novas contributiones, quibus ſubditi injuſte premantur, fortaſſe ſuppeditat cauſam; ſi vero benefaciendi conditionem ſua quantitate ſuperat, judicii, hoc caſu alias neceſſarii, arguit imbecillitatem. Haut alia ratione, ſi ia-

infra juſtæ quantitatis meta
decorum peccatur. Ut nil
rationi ex aſſe conſentaneum
caſione admitti debeat, ac
quin in peſſima Princeps
ſcilicet, aut divitiarum pub
nem, aut turpem, princi
protſus indignam, avaritiam
tamen gravius, hoc vero (qu
utilitatis communis ſpeciem
jori patientia plebeus animu

Hinc & qualitatis ration
bere debet illius rei, quam
ut ſit talis, quæ accipienti p
nemini nocere. Niſi enim
nec erit gratum, & hinc li
non meretur. Quamvis &
interſit, ut ad hoc quoque dili
ne munus, exercendæ libera
ſit tale, quo in alium translat
tim ordinarii, atterantur. S
nitum ipſi cumprimis obſerv
modum differentis: *Ad pr
illud quoque pertinet, ne
caſione patrimonium Princ
ribus uſibus deſtinata dimin
dentur, quibus ærarium pa
præfecturæ, honores, Magiſt
tia, eaque pecunia, quæ ex
tus inſperatis & incertis e
git*: ad Tacit. Lib. XIV. Ann

tra quod tamen imperantes ad ſuorum ſucceſſorum totiusque reipublicæ inexcuſabile detrimentum, aliquoties imprudenter committunt.

Denique & tempus obſervare oportet. Nam *ingratum eſt beneficium, quod inter manus dantis diu hæſit.* Id quod etiam Principi meo inſtrar regulæ notandum, ne largitatem ſuam eousque differat, donec neceſſitatis ratione ad eam adigatur. Quod etiam bene obſervat Machiavellus *ad Liv. Lib. II. cap.32.* quando ita diſſerit: *Sed rarum eſt, ut tot cauſas concurrentes & coadjuvantes quis in hujusmodi tardis beneficiis habeat: quamobrem debent omnes magiſtratus & principes ſtatim ab initio conſiderare tempora & caſus, quos fortuna adverſitas parere illis posſit, & adverſus illa ita ſe munire, ut cogitent, quorum hominum opera iis temporibus opus ſint habituri; eosque ſibi conciliare mature, & ita cum illis vivere, ut advenientc necesſitate promptos eos paratosque habeant. Nam qui magiſtratus, & principes præſertim, aliter agunt, exiſtimantque, cum necesſitas venerit, ſe eos ſibi beneficiis conciliare, quos longe prius offenderant, non modo fine ſuo fruſtrabuntur, ſed ruinam interitumque ſuum accelerabunt.*

Nec parum in acquirendo populi favore juvat modeſtia: virtus ſane majeſtati politicæ, perinde ut præmiſſa liberalitas, neceſſaria.

Et-

Etenim non ſolum animos novos ad
entiam ſenſibiliter conſtringit, veru
quavis occaſione cum fructu uſurpatu
utilius,(inquit Saavedra Symbol. LI
*deſtia ad tuenda regna, bello & arm
ta. Gravius tulit Senatus Romanu
Jul. Cæſar, Senatoribus ingredien
Senatum, non aſſurgeret, quam l
ſua jacturam. Quod cum adverter
rius, verbis paucis cum iis utebatur,
ſu permodeſto. Populus ad minus
magis, quam ad ipſam rerum ſub
advertit animum, & ob inanem au
captationem deperditur non rarò a
communis, & in odium convertitu*
ex hac Saavedræ, Politici ſummi, ex
(exiſtimo) ſufficienter conſtat &
uſus etiam in civilibus, ad bene
incolarum proliciendam; & quam
contra ferant ſubditi principem, qu
tumido animo cuncta agat, ac imp
mis arroganter exerceat. Ut ſine
reliqua deſcendere queamus.

Sequeretur jam in ordine juſtitia
ſequentibus capitibus ſeorſim tracta
ſervavimus,benevolum lectorem eo
tes; ut hac vice ad manſuetudinem
nobis ſit permiſſum. Hæc virtus a
iram moderandam eſt occupata, & i
(ſecundum communem loquend
clementiæ nomine venit. Refer

huc omnia, quæ indignationem in animo Principis commovere valent; qualia ſunt, damnum, injuria, aut quævis offenſiones: in quibus mediocritatem cumprimis tenere debet. Quippe *plurimis* (ceu obſervatione compertum habet Beliſiarius in Lib. de Educat. Princip.) *& maximis imperatoribus clementia non minus quam fortitudo profuit. Ea enim adeo hominum animi alliciuntur, trahunturque, ut, quod magis principibus conveniat, excogitari nihil poſſit.* Nec quicquam eſt, M. Antonii Aurelii ſententia, quod Imperatorem melius commendet gentibus quam clementia. Egregiè quoque ob hanc virtutem commentatur Jul. Cæſar; quod nullas tam graves habuerit ſimultates, quas oblata occaſione libens non deponeret, atque in ulciſcendo leniſſimum ſe geſſerit, ac moderationem & clementiam, tum in adminiſtratione, tum in victoria belli civilis admirabilem exhibuerit: ut Suetonius in ipſius vita prolixius commemorat. Nam *quemadmodum immoderatione præmiorum* (ſunt verba Saavedræ Symbol. XLI.) *& gratiarum, ita & nimietate pœnarum delinquitur. Ad ſtricti & rigidi juris normam velle exigere omnia, ad miniſtrum juſtitiæ pertinet potius, quam ad Principem. Ille ſui non eſt arbitrii; hic leges in ſua poteſtate habet. Juſtitia non eſt, quæ ni-*

mio rigore utitur ; nec clementia ,
dum non ſerVat.

Inter vitia autem , quæ manſuetu
ponuntur , maximopere Principi
eſt crudelitas. Hac immanitate
hil tetrius eſt , & brutis , ut quæ ejus
ctiones iræ , ab omni rectæ rationis
tione remotas , edunt , hæc conve
Quare & feritas appellari poſſit ; qu
delis ſuam naturam exuat , & imm
efficiatur. *Nam ira nihil proVidet*
ea deſignat plerumque , quorum pa
neceſſario eſt comes ; inquit Xenop
bell. de Re Equeſt. Hujusmodi tru
rum enormitatum cauſas notat N
Libello de Prophanitate ; quas ut hi
bam, e re fortaſſis eſt : *Illud pro*
*habeas,*inquit, *nullum eſſe immani*
nus, quod non ſit ob iræ ac Vindictæ
ſimam rabiem : ira enim Vehemen
fuerit) præcipitem ita agere homi
ſueVit, ut eum in ſui ipſius obliVi
ducat. Aut ob dominandi libidine
cio enim ac conſcientia illa ma
tra ac deteſtabilis tyrannos inducit
atque inaudita ſupplicia excogit
incutiendis terroribus , quin etiam
raro in filios parentes , ipſique in
liberi pergraſſentur teterrimis q
maleficiis ac pœnis. Aut ob ſpolian

ditatem : avaritia enim eſt utplurimum vitiorum comes, ſic etiam & immanitatis, præſertim ubi fuerit ambitioni conjuncta. Aut ob graſſandi voluptatem, excarnificandique oblectamentum, geſtientiam atque ingluviem. Hisce de cauſis agitatus Tiberius, truculentiſſimarum & horribiliſſimarum quoque crudelitatum autor in republica Romana exſtitit; ſed hinc ſubditorum animos adeo exacerbavit, ut morte ejus in immenſum lætatus ſit populus, atque ad primum nuntium diſcurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent: pars terram matrem Deosque Manes orarent, ne mortuo ſedem ullam, niſi inter impios, darent : alii uncum & Gemonias cadaveri minarentur. — Adeo ſcilicet crevit invidia; quaſi etiam poſt mortem tyranni ſævitiâ permanente. *V. Suet. in ipſius Vit.* Huic & ſubjungenda eſt ejusdem generis hiſtoria Richardi III. Angliæ, quam ſtrictim commemorat Franciſc. Bacon. de Verulamio in Henrico VII. Vel hinc abundè colligere eſt, quos ſibi fructus de crudelitate & tyrannide quisquis rerum civilium moderator ſummus promittere queat. Salluſtius *in Orat. I. ad C. Cæſarem de Rep. Ordin.* ita ſtatuit : *Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna, arbitror, neque quemquam a multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis*

formido recidat: eam vitam bellu-
num atq; anceps gerere: quoniam n
verſus, neq; a tergo, neq; a laterib
ſis: ſemper in periculo, aut metu a

Reliquæ ſunt virtutes homiliticæ.
eò pertinent: Veritas, Urbanitas, &
tas. Princeps ubique veritatem
joco autem, quo læſionem reſpectus
devitet, parcè utatur. Jocus enim i
periorem & inferiorem adhibitus faci
vit obſervantiam, & ſenſim contemp
rit. Interdum tamen, ut moleſtæ a
tis opinionem effugiat, jocari conve
obſervato præcepto, quod Auguſtin.
inter alia notat cap. 24. Lib. de Reg.
rann. *Urbanum & gravem*, dicit
pro loci & temporis opertunitate e
& ſic utraque amplectatur, ut id,
utroque inerit vitii, penitus evite
alterum regium, alterum familiari
tudini accommodatum. Adeoque
tione perſonam ſuam agat, ne au
parte regiam exuiſſe videatur, aut
conditionem in civitate viventis.

Magis principi eſt ſervanda comita
integre colat. Nam in animis h
& plebis, alias immorigeræ, tanta
efficaciam, ut omnes latente quadar
tra officii ſui terminos nullo negotio
poſſit. Majora ſunt, quæ Val. Max

attribuit *Lib. V. cap.* 1. *circa fin.* cum dicit: *Ergo humanitatis dulcedo etiam in effera-ta barbarorum ingenia penetrat, torvosq; & truces hoſtium mollit oculos, ac victoriæ in-ſolentisſimos ſpiritus flectit. Nec illi diffi-cile & arduum eſt, inter arma contraria, inter diſtrictos cominus mucrones, placidum iter reperire. Vincit iram, proſternit odi-um, hoſtilemque ſanguinem hoſtilibus la-chrimis miſcet.* Unicum tamen hic anne-ctere, imprimis Principi bene obſervandum, neceſſarium exiſtimo, nimirum ut facilitas hæc aliqua ſaltem gravitate temperetur: ne venerabilis autoritas in vilipendium, ceu a-lias metuendum eſt, cum ingenti Principis malo, tranſeat. Talem ſcilicet hiſce caſibus ſe gerat, qualem Plinius Trajanum ſuum de-ſcribit; ut nihil ſeveritati ejus hilaritate, ni-hil gravitati ſimplicitate, nihil majeſtati hu-manitate, detrahatur.

Atque ſic perfectiones quoque appetitus, excepta unica juſtitia, ſecundum propoſitum noſtrum emenſi ſumus. Ex harum virtutum (ſua alias bonitate quoque ſatis commenda-bilium) exercitio derivantur in Principem acceptiſſimi illi fructus, qui ſunt; Venera-tio, Benevolentia, & Fides; omnium certè rerumpublicarum ſtabiles, imò immotæ co-lumnæ: ut incolæ Principem ſuum non tantum ament, ac venerentur; ſed & ipſi

fideles omni temporis occa
reant.

CAP. XV.

DE

Juſtitia Diſtribu

Juſtitia Ariſtoteli (*Lib. V. E*
dividitur in univerſalem &
Univerſalis æque late patet, ac
morales, quas etiam ſuo ambit
dit; & eſt talis, cujus benefici
gibus debitam obedientiam exh
præſtantiſſimam Philoſophus a
dicat: ut neque Heſperus, nec
ter ſtellas ita admirabilis ſit, q
virtutes. Particularis demum
morales ſpeciem conſtituit, ac
ne & commutatione rerum juſt
nem ſervare amat. Hanc ver
accommodatiſſimam, vel ex
quod majeſtas politica imperan
ditis juſtitiæ præcipue cauſa vid
ut eam non ſolum in ſuis actiòn
ter cives exquiſite conſervet.
dem *ut anima corpus vivificat*
eo eſt; ſic juſtitia rempublicam
abeſt, concidit, & primum cad
ſine vitali motu, dehinc in ſu

menta cum fœtore & corruptione reſolvitur : ceu notat Petr. Gregor. Tholoſanus *de Rep. Lib. X. cap.* 2. Juſtitia enim continuus quaſi nervus eſt, quo membra cohærent; anima eſt, qua conſervata, reſpublica vivit, ſed neglecta, langueſcit, & tandem moritur.

Dividitur porro juſtitia particularis in Diſtributivam, & Commutativam vulgo ſic dictam. Hoc capite nobis de diſtributiva eſt agendum. Ea nihil eſt aliud, quàm juſtitia particularis, quæ circa res communes, inter plures diſtribuendas, æqualitatem, ad proportionem geometricam compoſitam, recte obſervat. Sunt autem illa communia, inter cives diſtribuenda, tum grata & bona; tum vero ingrata & mala. Ad ea, quæ grata ſunt, referuntur; dignitates & officia, honores, aliaque fortunæ bona, quæ maxime intuitu rerum, pro republica bene geſtarum, in præmia concedi ſolent: ad ea vero, quæ ingrata ſive moleſta ſunt, & mala, pertinent tributa pecuniaria, tum ordinaria, quæ ſtatis témporibus, tum extraordinaria, qualia extra ordinem, caſuum ſcilicet neceſſitate exigente, imponuntur, & quæ ſunt infinita pene alia incommoda, quibus cives interdum communis commodi intuitu, onerantur. In hiſce omnibus, inquam, diſtribuendis juſtitia quædam ſervari, vel etiam violari, poteſt.

Ut autem ea, qua decet
obtineatur, diſtributio ad pro
metricam, id eſt, talem, qua
tatem perſonarum & rerum,
tuenda. Quare merito ult
rationem requirit dignitas,
tum quoque rerum; ut hinc
butionis rationem conven
queamus. Nam quoties
errat, vel data opera æqua
aut, ut negligatur, in culpa
Juſtitiam hanc diſtributivam
eoque & in ipſam rempublic
periculo, injurius exiſtit.
gnitas perſonarum nihil aliu
rum meritum, alia atque ali
tum: quod inter illas certam
que proportionem, hoc ca
ſervandam, conſtituit.

Diverſimode autem hoc m
nibus, pro rerum public
conſiderari contingit; ceu
Lib. V. Ethicor. cap. 3. docet
democratia vivunt, ex libert
tatem æſtimant; qui in olig
tiis & potentia, partim etiam
in ariſtocratia, ex virtute &
geſtis. Atque hinc conſtat
tas non ſemper inde peti, unde
rent. Meus vero Princeps h

colarum eminentiam in egregiis facinoribus, pro ſalute reipublicæ præſtitis, vel vera virtute & animi qualitate ad res magnas gerendas idonea, ponat.

Quod porro res attinet, quarum dignitas eſt inveſtiganda: ut non ſunt illæ uniusmodi, ita & earum valor eſt diverſus. Aliter enim æſtimantur, quas in divitiis collocamus, atque aliter, quæ honorem & gloriam conferunt. Sed hic omnino notandum eſt, honoris valorem interdum prudentiſſime conſervari; interdum vero impudenter corrumpi & minui, atqui vel ab illis ipſis, penes quos diſtribuendi eos poteſtas eſt. Conſervatur ſcilicet, ſi ipſe Princeps honorem in pretio habet, atqui parce, nec niſi inter digniſſimos, eum diſtribuit: tantus enim illius eſt valor, quanti à Principe æſtimatur.

Romani exemplum prudentiæ haut minimi ſanè ponderis hic gubernatoribus regnorum reliquerunt, quando ſuarum coronarum, aliorumque ſignorum, rerum magnarum autoribus deputatorum, juſtam æſtimationem, in uſum ac ingens emolumentum publicæ ſalutis, ſtricte conſervarunt. Et Imperat. Auguſtus quoque propterea in conferendo jure civitatis ingenti uſus cautione; ut aliquando affirmaverit, *ſe facilius paſſurum fiſco detrahi aliquid, quam civitatis Romanæ vulgari honorem;* teſte Suetonio in Vita ipſius. At

 verò

verò evidenter corrumpitur illud hono
tium, ipſi alias communi hominum c
attributum, quoties Princeps inconſ
& cœco animi impulſu,dignitates in c
indignum effundit; nec perſonæ, nec
ferendæ, conditionem ſatis ſano judic
pendens. Omnino hic ſunt ann
quæ Forſtnerus *in Not. ad Tacit. Lib.*
nal. de abuſu equeſtris dignitatis diſ
dæ perbene obſervat: *Præcipuum*
rum honorum, (inquit) *ſunt equ*
ordinum nomina: quæ olim virtutis
um, nunc promiſcue etiam indignisſi
que conferuntur. Ut quidam inde
chaelis in Gallia ordinem non ampliu
tis ſignum, ſed omnium beſtiarum
dixerit.

Atque ſic res ſe habet circa commo
& neceſſarium eſt, ut pari ratione
Princeps accuratè noverit, tum oneru
munium quantitatem, tum perſonar
rentium, ut inter quas diſtribui debent
reipublicæ nomine ferenda, obligatio
vires. Quanta enim & hic, vel in re
quoque in perſonis, occurrat different
quotidiana experientia, & creberrim
num, de gravi ſibi hoc caſu facta injur
rentium, ſermones ſatis ſuperque doce
principem,non tantum ex commodor
lore, ſed & incommodorum magni

pari diligentia juſtitiam ſuam componere deceat.

Hisce præſuppoſitis, jam ad ipſam juſtitiæ diſtributivæ mediocritatem nos transferimus. Exigenda autem eſt illa ſecundum Ariſtotelem, & omnes, qui illius doctrinam ſequuntur, ad proportionem Mathematicis familiarem, quam geometricam appellant. Hæc adeo Principi meo eſt tenenda, ut neque errori, neque deviæ animi propenſioni quicquam, quod in alicujus ſuorum ſubditorum injuriam ac detrimentum vergere poſſit, relinquatur. Involvunt enim vitia, contra hanc normam perpetrata, animorum exacerbationes, obediendi vinculum paulatim diſſolventes; hinc conjurationes, turbas, motus, & quæcunque alia, in reipublicæ periculum, ac ſæpe ruinam, confluentia. Atqui ea tanto magis vero ſunt conſentanea, quanto firmius hæc juſtitiæ ſpecies eſt imperii fulcrum. Faciunt omnino huc, quæ eleganter obſervata leguntur apud Gaſp. Ens Theſaur. Pol. Part. I. Apotelesm. I. cap. 10. *Quod ſi Princeps,* dicitur ibidem, *utilitates nimis parcè dilargiatur, parum amabitur; ſi inconſiderate honores diſtribuat, multorum odia incurret; ſi onera pacis tempore cum cujusque viribus non exaquet, pro tyranno habebitur, in bello autem certisſimam ſibi attrahet ruinam. Avaritia vulgus offenditur; imprudentia in*

diſtribuendis honoribus nobilitas. S
favore magis, quam meritis, Princep
catur, ii, qui injuria ſe præteritos
mant, cum ſuo etiam exitio, Principi
ciem machinabuntur. Et quamvis
hæc diſtributio ſemper & omnibus i
magna afferat incommoda; multo
plura in bello, ubi miniſtrorum fid
amore magis opus eſt. Hisce ex par
dam ſimilia ſunt, quæ Græcus Poeta
Horneus *Philoſoph. Moral. Lib. III. cap*
ducit) ex variis ſucceſſuum civilium
bus in uſum politicum collegit:.

Nam id perire plurimas urbes fac
Si vir probus fortiſque pactus peſſi
Non auferat plus præmii quam p

Hoc morbo civili Rempublicam R
poſt florentiſſimum ſtatum vehement
infectam, etiam luculente docet M.
Cato apud Salluſtium, quando queritu
ter bonos & malos diſcrimen nullum
virtutis præmia ambitio poſſidet.
ubi malos præmia ſequuntur, hau
quiſquam gratuito bonus eſt: ceu
Philippus in orat. contra Lepidum, q
ſtat inter Fragmenta Salluſtiana. At
aliunde petita huc quam maxime a
placet, ut Principi meo moniti loco

ac ipſe eorum autoritate hæc offendicula curiosè evitare addiſcat.

Cæterum circa ea, quæ ſubditis ingrata atque oneri ſunt, diſtribuenda, notare expedit, quod duplici ratione contra æqualitatem peccari hic, ceu experientia conſtare videtur, eveniat: ut videlicet, vel Univerſi hinc læ-dantur, vel vero non Univerſi. Univerſos ultra modum gravant imperium habentes, decernendo & imponendo ipſis onera majora, quam quæ vel utilitas reipublicæ requirat, vel pietas patriæ, vel etiam ipſa divina voluntas, permittant, aut patrimonii cujusque vires ferre poſſint. Quo pertinet reſponſum Tiberii, ſic ſatis egregium, homini, qui inuſitatas extorquendæ pecuniæ rationes conferebat, datum: *Boni paſtoris eſt,* inquit, *tondere pecus, non deglubere.* Atqui egregia eſt ſententia Cyri apud Xenophontem *Lib. VIII. de Pædia illius,* qua ſtatuit, *ſimilia eſſe opera boni paſtoris, & boni Regis. Nam & paſtorem decere pecora reddentem felicia, iis uti (quæ quidem pecudum eſt felicitas) & regem itidem decere urbes atque homines felices facientem, iis uti.* Ut non ſolum contra homines peccare Principem, ſed & graviſſimè quoque ipſum Deum offendere iſthac acerbiſſima tributorum & aliorum onerum impoſitione, clarum ſit, & nulla indi-

geat demonſtratione : quemadmodu
que prolixè & perquam eleganter ho
Forſtnerus *in Not. polit. ad Tacit.*
Annal. ad illa verba : *Pacem exuere*
ſtra magis avaritia, quam obſequii
tientes. ut, quæ ibi diſſerit autor, c
mereantur conſiderationem.

Non una autem de cauſa ſolent im
tenentes moveri ad hanc enormem pr
tributorum impoſitionem. Nam in
mera libidine congerendi divitias comp
lud (ceu ex quorundam hiſtoria forta
lam eſt) faciunt ; ut vel avari eas poſ
vel in vanam gloriam, bella non nec
ac ſæpe injuſta (velut hoc belli cupid
tingit) aut ejuſmodi alia impendant.
dum hunc finem intendere videntur in
tes, ut ſubditos ſuos bonis emungant
ratione ad paupertatem reductos tant
lius in officio obſequii cohibeant.
inhumana eſt hæc doctrina, atqui err
politicorum proborum ſcliola omnin
ganda. *Nam quod populi egeſtatem*
nervosè ſimul & pereleganter loquitu
mas Morus in Utopia ſua) *cenſean*
præſidium eſſe, longiſſimè aberrare e
res docet. Nempe ubi plus rixarum
rias? Quis intentius mutationi rer
det, quam cui minime placet præſe
ſtatus? Aut cui denique audacior

ad conturbanda omnia, ſpe aliunde lucrandi quam cui jam nihil eſt, quod poſſit perdere? Quod ſi Rex aliquis adeo contemtus eſſet, aut invíſus ſuis, ut aliter eos in officio continere non poſſit, niſi contumeliis, compilatione, & ſectione, graſſetur, eosque redigat ad mendicitatem, præſtiterit illi profectò, regno ſe abdicare, quam hiſce retinere artibus, quibus quanquam imperii nomen retineat, certe amittit majeſtatem. Lib. I.

Interdum univerſi non habent, quod querantur de injuſta onerum quantitate, ſibi communis boni cauſa ſuſtinenda; quod ſcilicet ea, & ſalus reipublicæ neceſſariò requirat, & facultates privatorũ ferre poſſint: Sed vel certæ incolarum claſſes, vel ut ſinguli, injuria iſthac premuntur. Et quidem, quod integras claſſes incolarum concernit, ejusmodi quid pati ſolent V. G. in democratiis nobiles & honoratiores, oligarchiis plebei: ut illa claſſis, quæ ſibi majeſtatem politicam tribuit, plus commodi, minus verò incommodi, ſed ea, quæ ſola obſequii gloria gaudet, minus commodi & plus onerum, quam juſtum & æquum eſt, in tali reipublicæ aberratione plerumque perſentiſcat.

Contingit autem ejusmodi inæqualitas ſæpe, tum iniqua inter cives diſtributione onerum, tum etiam exactionis nimio rigore. Utrumque committitur utplurimum nequi-

tia

tia (rarius imprudentia) eo
ræ hoc negotium à Principe
Vel enim avaritia illis ineſt
tas & iniquitatis ſtudium, ut
hisce, quos ad miſere vexa
corrumpendum bonum Prin
nullis ferme terriculamentis
vina, ut quæ ipſos manet et
repelli poſſint. Pertinent h
nere hominum recte, & ſuo
obſervavit Saavedra in Idea
ſtiano-politici: *Maximum*
rum & Vectigalium regiori
eſt in quaſtoribus ſeu coacto
dum plus damni adferunt
ipſa; neque ullam rem in
rant ſubditi quam violenti
nitatem miniſtrorum in c
pecuniis. Symbol. LXVII.
ſa eſt, cur hoſtes ſæpiuscu
quàm hi exactores, ipſis vi
illos, ut vim exactionis evad
fugiant; vel alia ratione
tuant: ceu quoque, ob eand
ſam, moti ſubditi Anglicani
Henricum VII. ſuum Rege
eſt ex Verulamii Hiſtoria de
ſtis. Et Salvianus *Lib. IV*
acerbe queritur de indigna
torum diſtributione, qua

Et quidem hoc ipſum, quamvis durum & inhumanum, minus tamen grave & acerbum erat, ſi omnes æqualiter atque in commune tolerarent; illud indignius ac pœnalius, quod omnia non omnes ſuſtineant; imo quod pauperculos homines tributa divitum premant, & infirmiores ferant ſarcinas fortium. Hoc caſu providentia Tiberii, cæteroqui peſſimi reipublilæ adminiſtratoris, tamen magna laude videtur digna, quando, *ne provinciæ novis oneribus turbarentur, utqueve tera ſine avaritia & crudelitate magiſtratuum tolerarent, providebat. corporum verbera, ademptiones bonorum aberant:* teſte Tacito *Lib. IV. Annal. cap. 6.* Sed contra Olennius quidam è Primipilaribus, Friſiis regendis impoſitus, avaritia imprudenter ſane lapſus eſt, aggravato illis tributo: quod adeo difficulter ferebant, ut hinc ira concitata atqui queſtus, & tandem, poſtquam non ſubveniebatur, remedium ex bello, ipſis Romanis periculoſo, quærere non ſint veriti; ceu idem Tacitus hanc hiſtoriam notat *alleg. Lib. IV. Annal. cap. 72.*

Tot ſunt juſtitiæ diſtributivæ ſcopuli, in quos princeps aliquis, ſive imprudenter, ſive alio quodam animi nævo, illidere, ſed cum ingenti ſuo periculo, ac ruina totius principatus, poteſt. Quos vero ſi devitare omnibus modis ſtudeat, magnum ſe hinc ſuæ, civilisque

que ſtatus, felicitati fundamen
ſtat regulæ, infinitis jam civi
perimentis confirmatæ; extra
tationis aleam ponat.

CAP. XVI

DE
Juſtitia commut

NOn minus neceſſaria eſt i
ti juſtitia, quam commu
pellant commutativam: qui
ſenſum Ariſtotelis, correctiv
qualitatem in negotiis inter
tis ortam, corrigat, & emende
ditis fit, quoties in honoribus
ſtribuendis (ceu in præcedenti
monſtratum) proportionem a
narum non obſervari vident:
inique ferunt, quoties juſtitia
latam, & vel ad perturbatas
judicantis emendatam, vel pro
experiuntur. Quapropter q
omnino incumbit hic operam
hæc ſpecies juſtitiæ recte admi
dem tantò magis, cum absq
rempublicam continere impo
Nam *etiam ſolitario homini*
Cicero) *atque in agro vita*

juſtitia neceſſaria eſt: eoque etiam magis, quod eam ſi non habebunt, injuſti habebuntur; nullis præſidiis ſepti multis afficientur injuriis. Atque iis etiam, qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur, juſtia ad rem gerendam neceſſaria eſt. Cujus tanta vis eſt, ut ne illi quidem, qui maleficio & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine ulla juſtitia vivere. Nam qui cuiusum eripiam, qui una latrocinantur, clam furatur aliquid, aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem reliquit locum: ille autem, qui archipirata dicitur, niſi æqualiter prædam diſpertiat, aut interficiatur a ſociis, aut relinquatur. Lib. II. Officior. Ut vel hinc colligere ſit, majeſtatem civilem propter hanc juſtitiam primis temporibus maxime fuiſſe conſtitutam: quemadmodum quoque illud in allegato libro paulo poſt eleganter demonſtratur.

Cum vero tanto ejus in politico ſtatu ſit utilitas; hinc & illam ultimo huic capiti ſeorſim tractandam reſervavimus. Eſtque nihil aliud, quám juſtitia particularis, quæ circa contractus humanos æqualitatem ad proportionem arithmeticam obſervat, vel inæqualitatem illatam corrigit. Hinc principio differentia cum Ariſtotele *Lib. V. Ethic. cap. 4.* conſtituenda eſt inter hanc, & juſtitiam

tiam diſtributivam. Diffe
quod juſtitia diſtributiva c
quatenus inter cives diſtri
mutativa vero circa res priv
ditos invicem commutand
morem loquendi juriscon
uſitatum) in commercium
cupata. (2) Quod diſtrib
nem geometricam , ad m
tatem perſonarum reſpicien
tativa vero proportionem ari
lam contrahentium perſon
nem conſiderantem , obſerv
obiter addi poteſt , quod
imperantibus ut imperantib
tes ; juſtitia vero cummuta
tos invicem.

Differentia hoc modo in
ad objectum. Videntur illu
mani, inter privatos evenie
ligatio aliqualis promanare
teles nominat in Ethicis ſu
quæ commentatores Latin
contractus in latiſſima ſignif
ita latè hic accipiuntur, u
varia : qualia ſunt ; bona
civium, ſive in patrimonio
mobilia, ſive immobilia, ſiv
incorporalia ; item corpus,
ma vel exiſtimatio , opera

perſonæ familiares , ut uxor , liberi, ſervi.

Atque hinc etiam dividuntur contractus, in lata illa ſignificatione ſumpti , ſecundum Philoſophi ſententiam , in Voluntarios , & Invitos: Voluntarii autem dicuntur , quod in utroque contrahente principium agendi ſit internum & voluntarium. Eo referri poſſunt ; emptio-venditio , locatio-conductio , ſocietas, mandatum , fidejuſſio , mutuum , commodatum ; ac omnes alii contractus , qui utriusque conſenſu, ſive vero , ſive quaſi & per fictionem quandam juris, ſunt celebrati.

Circa hoc fides[1], velut juſtitiæ *fundamentum, id eſt , dictorum conventorumque conſtantia & veritas* ; omnino venit conſideranda. Niſi enim fidem ad leges contractus accurate ſervent, ſtatim exoritur inæqualitas, & hinc querelæ atque alia incommoda , tranquillitati civium nociva. Requiritur autem fides hoc caſu, tum in republica , tum quoque extra eam. In republica neceſſaria eſt , non ſolum inter ſubditos invicem , verum etiam inter ſubditos & eorum Principem. Nam in contractibus, & aliis quibusvis pactis , mutuo conſenſu initis, quoad obligationem inde reſultantem, Princeps non ut Princeps , ſed ut privatus, tanquam ſuſpenſa majeſtate politica ac qui pari ratione cum vulgari cive præſtanda ſecundum datam fidem præſtare debet,

eſt

eſt æſtimandus. At vero h
ubique, experientia teſte, at
potentia ſua & indetermina
tate freti imperium habentes
miſſis, ſuis civibus factis, ſtar
bi, vel ſaltem indecorum
opinentur. Adeò *ut juſtitia*
mas Morus circa hoc argum
Utopia ſua) *videatur, aut*
virtus & humilis, quæque
ſubſidat infra regale faſtigiu
tem duæ ſint, quarum alt
ceat, pedeſtris & humirepa
ſepta tranſilire queat, mul
ſtricta vinculis: altera vir
quæ ſicuti ſit quam illa popu
ſic eſt etiam longo intervallo
nihil non liceat, niſi quod non

Si vero Princeps meus pru
dat, quanta incommoda ex
tione, tum in animis ſubditor
que alia ratione naſcantur, fa
rem enormem, & corruptis
rem, execrabitur. Quod vel
perſæpe contingere poteſt,
apparebit; quando præter re
tus ſui ordinarios & extraordi
publicam, ab ingenti pericul
magna indiget pecuniæ ſum
men, niſi fidem (Credit) apud

interdum etiam alterius civitatis incolas, paratam habeat, nunquam, certa quamvis ruina ſubſequente, obtinebit. Item quos effectus hæc res & alia quavis occaſione producat in civili ſtatu, dilucide docet Beliſarius, quando ita dicit: *Sicut in Principe nihil turpius conſpicitur, quam à fide veritateque alienum eſſe (mendacii namque conſuetudine fiet, ut quum aliquid ſuis perſuadendum putaverit, ſemper decipiſſe ab ipſo ſubditi exiſtiment) ita etiam ſi à Principe promiſſa ſerventur, ſubditorum animos ad omnia, quæ ferri poſſunt, ferenda Princeps incitabit:* Lib. de Educat. Princ.

Ad hanc quoque claſſem referri debet caſus, quando inter Principem ejusque ſubditos certa quædam pacta atqui conventiones de re communi interceſſere. Nam niſi ejusmodi concluſiones, mutuo aſſenſu roboratæ, etiam a parte Principis ſedulo obſerventur, ſtatim animi incolarum, ut qui valde ſe hinc læſos ſentiunt, averſationem ſæpe periculoſiſſimam apprehendunt: eo videlicet caſu, quando ipſi non dederunt juſtam hujus cauſam. Atque Hiſpanos valde inique & imprudenter ſeſe hic rerum ſuarum ſtatu geſſiſſe, idque in propriam perniciem, bene obſervat Campanella; maximamque hujus mali cauſam attribuit avaritiæ atque injuſtitiæ Ducis Albani, rebus ſuis ſolum invigilantis,

ut

ut qui hoc intempeſtivo exceſſu totu
gium turbaverit, & in Regem rebe
çerit: *Libell. de Monarch. Hiſpan.c*

Sed & extra rempublicam, ſive int
cipem & ejus vicinos, fides in fœderil
quibusvis aliis pactionibus, ceu res
inviolabilis eſt conſervanda: ut nec
præſertim ſi jurejurando corroborata
neganda. Quippe hæc neglecta
ſiſſima ſæpe principibus peperit bella
que & Deum perjurii vindicem, &
iſthac injuria gravatos, vel ſaltem i
te tactos in ipſum acerrimos hoſtes
Atqui hæc tam modo ſeſe habere, vel
Ethnicis haut fuit negatum; ceu
colligere eſt ex eleganti ſermone,
Lacedæmoniorum illius Imperatori
Tiſſaphernes, qui ſummum imper
inter præfectos regios (ſcilicet Ar
habebat, inducias, juramento con
violando deceperat: *Multum in*
qui ſe, dicebat, *quod Tiſſaphernes*
ſuos, & Deos ſibi iratos redderet:
ſervata religione confirmare ex
cum animadverteret Deorum num
ſecum, homineſque ſibi conciliari a
quod his ſtudere conſueſſent, quos
re fidem viderent: apud Cornel.
in illius Vita *cap. 2.* Quemadmo
que hoc ipſum notat Xenophon. *L*

Reb. Geſt. Græcor. item *in Orat.* de hujus Ageſilai Laudibus. Idem comprobat inopinata infelicitas belli illius (inita quamvis pace paulo antè compoſiti) a Vladislao III. Poloniæ Rege contra Amurathem Turcarum Imperatorem, perſuaſione Pontificis & aliorum, repetiti. Rex enim pene victor, converſa ſubito fortuna, toto fere Chriſtianorum exercitu horrenda & miſerabili ſtrage a Turcis profligato, interiit. Cui hoc epitaphium quidam fecit:

Romulidæ Carras, ego Varnam clade notavi:
Diſcite mortales non temerare fidem.
Me niſi Pontifices juſſiſſent rumpere fœdus,
Nonferret ScyticumPannonis ora jugum.

De quo videatur Dav. Chitræi *Chron. Saxon. Part. I.* item Florus Polonicus Paſtorii *Lib. III. cap. 2.* & alii, qui hanc hiſtoriam circumſtantialiter memoriæ tradidere. Quare Romani, ut apud quos tunc temporis juſtitia in hac parte maximopere culta eſt, peculiares ritus in juramentis præſtandis curioſe obſervarunt; quo ma-

jor reverentia Numinis d
ſervantia fœderibus ſanci
econtra perjuria, alias
ev.tarentur.

Neque præterea inveni
di princeps apud vicinos
ope, vel minimum benevo
que (ut ſine quibus ſta
non poſſit) neceſſario tan
dera enim cum ipſo, au
omni ſtudio averſantur:
hendatur vinculum, quo
mum, ad ſe promiſſis libe
gere queant. Qua de
Senatoribus Romanis
fœdifiagorum Legatos,
petentes, ſollicite percon
Deos fœdus icturi eſſent,
ante ictum eſſet, feſelliſſ
nim ejusmodi contractus
publicas celebrati, quos
mus, maximè ſpectant:
cem præſtare velint, fi
usque dum tempus appa
exſolvendi promiſſum, au
tione fœderis leges impl
ſiderium adimpleatur a
parte, idque data opera
lædens fidem violaſſe, ac

ſiſſe contra honeſtatem: quo ipſo boni *viri* opinionem apud omnes perdit.

Interim tamen nihil frequentius ferme noſtro tempore contingit, quam ea, quæ fœderibus inter publicos ſtatus, ſive pro pace æterna & amicitia ſincera ſtabilienda, ſive pro mutua defenſione, ſive etiam pro offenſione & conjunctione armorum, alicui tertio inferendorum, ſunt conſtituta, mox leviſſimis de cauſis diſſolvere: utilitate ſocietatis civilis videlicet, ut quæ omni enormitati prætenditur, hoc excuſante. Facillime enim ii, qui bello ſuccubuere, & fœdere (fortuna hoc ipſum exigente) pacem conſtituere, victorique forte portionem ditionis ſuæ, vel jus quoddam, concedere coacti ſunt, mutata priori rerum facie, & data hinc occaſione, nova agitant conſilia de hoſtilitate quadam denuo ſuſcitanda: ut non tantum inique, quemadmodum opinantur, extorta pari ratione repetant, ſed & re feliciter ſuccedente, præterea aliquid de hoſtis poſſeſſione in præmium laboris ſuæ addant; atque ſic mutuam animorum acerbitatem in infinitum extendant. Verum quamvis ejusmodi caſibus principium interdum in paciſcente altero appareat quodammodo violentum, quod actum hunc vitioſum reddere, & per conſequentiam reſcindere poſſit; nulla ratione tamen in

eorum ſententiam d
ſine diſcrimine inter
tis, utrum illæ fuerin
circa modum, bene
quamvis conſilio ſt
ſolvere audent. N
titur, non habet,
facta queratur.

Qui vero nullu
obſervant, ac Machi
hac in parte doctri
quodvis intereſſe c
datæ, nec non inter
bis confirmatæ*, p
quuntur; illi & i
hoc faciunt; tanqu
turæ gentiumque, a
publicæ commodum
nim ſtatim utile eſt,
pus tale ſaltem app
mox detrimento &
junctum, quodve
Nam *cum aliqua ſ*
ba ſunt Ciceronis
jecta eſt, nos quid
eſt. Sed ſi cum
turpitudinem Vid
quæ ſpeciem utili
utilitas requirend
gendum, ubi turp

rem eſſe non poſſe. Regulam, quam Cicero filio ſuo cupit eſſe notiſſimam, & Principi meo familiariſſimam velim: *Aut illud, quod utile videtur, turpe ne ſit: aut, ſi turpe eſt, ne videatur utile.* Ut vel hinc, quantopere opinio improborum politicorum, qui omnia emolumentis ſuis & commodis metiuntur, fugienda, ſatis ſuperque ſit manifeſtum.

Contractibus voluntariis pro noſtro inſtituto ſufficienter perpenſis; ſequuntur inviti. Dicuntur autem inviti, quod nobis, vel nolentibus, vel vero ignorantibus, fiant: quamvis Juriſconſulti Romani illos contractus hoc nomine appellare non ſoleant; cum inter contrahentes mutuum conſenſum, vel verum, vel quaſi ſaltem, intervenire debere præſupponant. Quare hoc loco imprimis notandum venit, quod altera ejusmodi contrahentium pars, agens videlicet, ſponte; patientis vero vel intellectus, vel voluntas, excludatur. Atqui hac de cauſa contractus inviti ſunt, vel clandeſtini, vel violenti. Clandeſtini ſunt, qui fiunt nobis ignorantibus: quales; furtum, adulterium, veneficium, ſervi corruptio & abductio, item cædes per dolum commiſſa. Violenti econtra nobis quidem ſcientibus, ſed contra noſtram voluntatem fiunt:

veluti contingit circ
lentam cædem, cont
In hisce omnibus
præſide juſtitiæ corri
ne ulterius dicetur.

Poſtquam jam ea
ɑi occurrerunt , a
pergimus ad ipſam
quam juſtitiæ noſtr.
tem hæc mediocrita
meticam, id eſt tal
perſonarum contr
aut meritum, ceu i
venit ; ſed ſolum r
valorem, ſine omni
exigenda. Hæc au
neatur, comparatio
quas juſtitia hæc ſp
facienda; ut tali mo
ſubeſt, deprehendatu
ad æqualitatem d
Sunt vero (ut hæc o
contractus voluntar
mutandæ , atque h
ejusdem ſpecies, u
cum pane, vel frume
in mutuo frequens e
rentes V. G. ſi vinum
pecunia pro quibu
tur.

Comparationi rerum inſervit medium ſive menſura, pretium ac valorem earum menſurans. Etenim abſque hoc medio, tanquam inſtrumento, neque res æſtimari poſſunt, neque per conſequentiam juſtitia commutativa accuratè haberi. Eſt autem illa menſura, ceu Ariſtoteles *Lib. V. Ethicor. cap.* 5. hoc eleganter oſtendit, vel a natura, vel ab inſtituto hominum. A natura eſt rerum uſus & indigentia: quæ & rebus pretium quoddam determinant, & quaſi cauſa impellens ſunt communicationis earum, atque inde vinculum omnis ſocietatis civilis jure dicuntur. Niſi enim alter alterius rebus & ope creberrimè indigeret, non ita in civitate omnes vivere deſiderarent. Sed homines hominum cauſa ſunt generati, ut ipſi inter ſe, alius alii, prodeſſe poſſent, atque mutatione officiorum, dando accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus hominum inter homines ſocietatem devincirent.

Inſtituto hominum eſt nummus: qui communi conſenſu inventus eſt, ut illius beneficio omnia metiamur. Nam *olim non ita erat nummus* (inquit JCtus Paulus in l. 1. princ. ff. de Contrahend. Emption.) *neque aliud merx, aliud pretium*

vocabatur, ſed uniu
ceſſitatem tempor
inutilia permutab
evenit, ut, quod alt
Sed quia non ſempe
bant, ut, cum tu h
derarem, invicem
cipere velles, elect
blica ac perpetua
bus permutation
tatis ſubvenires.
mus, quo inter reg
cia exercentur,
conjunguntur, quo
te præditus eſſe de
pta ſit & probata.
ſit comparata, m
ſtatim ceſſant: & h
publicarum, quibu
mento; ceu expe
Quod vero minu
cujus uſus tantun
licujus civitatis, a
tidie neceſſarias,
materiæ bonitas
forma, qua public
Magna tamen cura
tantam copiam n
cudi permittat, ut l

do, ſed mercatoribus impedimento, ac toti reipublicæ oneri, ſint: cum hinc ingens, & longo tempore vix reparabile, malum rei communi accedat.

Reliquum eſt oppoſitum juſtitiæ commutativæ, nimirum injuſtitia commutativa: quæ circa contractus humanos, quoties evenit, opera judicis eſt emendanda, & ad æqualitatem juſtam redigenda. Hic occurrunt conſideranda plus & minus; ſive, ut in ſpecie dicuntur, lucrum & damnum. Propriè quidem lucrum & damnum prædiantur de contractibus voluntariis: latè tamen ſumpta, & hic etiam, ad contractus invitos promiſcuè omnes transferuntur; ut V. G. injurians lucrum, injuriatus damnum, vel ille, qui percuſſit, lucrum, qui vero percuſſus eſt, damnum (docente hoc Ariſtotele) accepiſſe rectè dicantur. Ut vel hinc appareat, etiam pœnam, quamvis capitalem, hoc nomine infligi, ut inæqualitas ob delinquentis malitiam, in contractu ſuborta, ſuo modo corrigatur.

Aſt magnum dubium hoc loco ſeſe offert: anne in pœnarum inflictione ſit proportio geometrica, perſonarum rationem

habeas, potius quan
da; & hinc pœnæ ſ
accenſendæ? Af
quod pœnæ quanti
tate & eminentia
nationem quandam
ea nobilitate præ
plebei puniantur.
vulgaris quidam c
rit, aut alia injuria
afficiendus; ſi ver
illam intulerit, lon
Secundo & illis ca
ex animo delinque
que examinatur (
debet) utrum ſpo
cillitate quadam
commiſſum, perſon
benda; & hinc p
vel vero mitigan
quod plurimi docto
conſulti propterea
ſententiam.

Quamvis ex hi
metricam in pœnis,
perſonarum dignita
ri debere (cum &
Ethicor. cap. 5. p

circa delicta pœnarum differentiam faciat) concludendum eſſe videatur: non tamen, quantum ego judicare poſſum, ita eſt. Nam ad priorem caſum reſpondeo, quod tale quid contingat, non in conſideratione perſonæ illo modo, ceu circa juſtitiam diſtributivam obtinet; ſed quod exiſtimatio ſit tale genus bonorum externorum, quod valorem ſuum ex ſtatu & conditione ejus, qui eam poſſidet, accipiat. Ut hac de cauſa vulgaris civis longe majori pœna dignus merito ſit æſtimandus, quod conſulem injuria affecerit; minori vero hic, illum tali ratione lædens: cum priori caſu multo majus ſit damnum factum ob bonum præſtantius corruptum, poſteriori autem exiſtimatio civis ad exiſtimationem conſulis, & vice verſa, ita ſe invicem quoque habeant damnum & lucrum, oportet; & talis quoque conſequenter ſit inæqualitatis correctio, quæ hic pœnæ vicem ſubit. Nec obſtat, quod in gravioribus delictis, ob quæ pœna capitalis decernitur, ſoleat nobilitatis, ſive ſpectabilioris ſtatus & conditionis, ratio haberi: quandoquidem plerumque, non tam in pœna, quàm circa pœnæ applicationem privilegia & conſuetudines quandam mitigationem, intuitu

eminentioris dignitatis
collocatus, permittunt.

Neque præterea no
terna actionum hu
(quemadmodum in E
in agente omnino ſ
delicta hinc, vel m
prorſus excuſabilia ſin
vel majorem, vel mi
mereantur; imò qu
ſpeciem transcendant.
de, ſicut in delictis, it
voluntariis, qui tamen
verſia ad juſtitiam c
runtur, omnino eſt ol
lud ex jure Romano p
notandum hic obiter
eſſe ejus generis ac r
onera communia, inte
modi ergo diſtribuend

Nec denique no
apparet) quod pœna
continere damnum,
ctum; ſed & prætere
furto, quando dupl
eſt reſtituendum:
publicæ nomine fiſcal

ejus amicis ſuperſtitibus acquieſcentibus, pœnam exigit; velut in magnis delictis contingit: ut hinc concludere liceat forte, hoc ipſo non fieri inæqualitatis emendationem, ſed potius novam inæqualitatem, cum pœna ſuperfluum exigat. Reſpondetur, quod priorem caſum attinet, legislatori placuiſſe illam pœnam addere (ſive privati parti conſtituatur, ſive in fiſcum conferatur) idque, ut hi & cæteri metu pœnæ in poſterum terreantur ab ejusmodi enormitate. In poſteriori caſu obſervandum eſt, quod illis gravioribus delictis, non ſolum privati lædantur, ſed & ipſa respublica, ut cujus ſaluti obeſt, incolarum vitiis deformari. Atque hinc inæqualitas inter delinquentem & eum, qui injuriam paſſus eſt, item inter delinquentem & rempublicam, orta eſt; quare utraque eſt corrigenda. Reipublicæ enim intereſt, ne delicta maneant impunita. Ut vel hinc quoque delicta in jure Romano rectiſſimè appellari poſſint publica; videlicet ob intereſſe publicum, ſive commune.

Hiſce, ut par erat
nifeſtum eſt, ſecun
portionem pœnæ ſ
ac infligendæ. E
ingens uſus ad con
contractuum invit
ves admodum ſar
qualitatem : adeo
reſpublica nulla
poſſit. *Cœtus hom*
Dione inter Selec
Creſcentius) *omn*
atque ſalvus eſſe pote
li non caſtigantur :
niſi medicina conv
reliquas omnes m
Hisce ſubjungend
ganter diſſerit N
Livium : *Eſt vel in*
dum in gubernatio
injuriæ inferantur
privatim, & ſi quæ
punitæ relinquantur

vatus homo, cui magna injuria facta eſt, eam vindicare conatur: niſi ab iis puniatur, a quibus puniri debet. Usque adeo autem naturæ hominum inſidet hæc vindictæ cupiditas, ut conentur injurias vindicare, vel cum patriæ ruina, ſi in libera republica vivant; ſi degant ſub imperio Principis alicujus, etiam cum propriæ vitæ periculo idem tentant: atque id ii maxime cordi habent, quotcunque animi magnitudine quadam excellunt: Lib. II. cap. 28. Hæc Machiavellica quamvis, nec a vero, experientia ſufficienti teſte, recedant, atqui eam ob cauſam egregiam ſapiant prudentiam; non tamen, niſi unicam ulciſcendi cupiditatem in animis ſubditorum ob juſtitiam, vel denegatam, vel ſaltem neglectam attingunt. At vero pœnæ obſervatio in ſocietate aliqua civili quoque neceſſaria eſt, ut metus, hinc incuſſus, non ſo-

ſolum delinquent
ad malum inclinar
di malefactis, pub
ti maximopere noc
(cum, nec Deo ,
grata, eaque de c
exitum unquam ſc
reat, boni in ben
ventur, ac omnib
ſequioſa incutiat
Princeps veram ſ
patum ſemper flor
perennem extra
adipiſ

F I N